

ILLVSTRISSIMO
DOMINO,
GENEROSISSIMO
HEROI

D. MARTINO DE SIECIN IN KRASICZYN KRASICKI:

CELSISSIMO
REGNI POLONIÆ SENATORI:
CASTELLANO, LEOPOLIENSI,
PREMISLIENSI, LVBOMLIENSI, BOLEMOVIENSI, &c. &c. CAPITANEO,
FRATRI MIHI
OBSERVANDISSIMO.

SI eo potissimum tempore, quo incly-
tum Poloniæ regnum ab ho-
machinationum, ac bellor-

A

tione feliciter conquieuit, Te, Ill.^me Domine, in hoc Philosophicum meum Armamentarium induxissem, omnemq; illum Lycei apparatum, & armaturam contra Cynicos, Scepticos, Ramistas, aliosque Peripateticæ Doctrinæ hostes aptissimam, oculis spectandam obiecissem, oportunus dubio procul videri potuissem. Nunc vero cum seditionum, ac bellorum incendium, in v cinis regionibus altero ab hinc anno excitatum, non modo in cineres suos necd: m collabatur; sed flammarum globis longe lateque excussis, tam fœde debacchetur; vt perruptis obicibus, in ipsa Austria, Hungaria, Transiluania, Turcia, Tartaria &c. vehementius inflammatum deflagret, florentissimasque prouincias horrendum in modum depascatur: inciuilitatis fortean ac imprudentiæ non immerito postuler, qui Tibi regni Polonici consultissimo Senatori, Vigilantissimo Capitaneo, eo tempore imaginarias has, ac pa-

s velitationes obtrudam; quo Te ob tan-

Patriam vndiquaque afflantis vicinita-

mis curis implicitum, ac ad vera arma,

ma, apertamque vim, si quæ à Mahometanis, Tartaris &c. ingruat, pro pulsandam accinctum iam penè in acie consistere minimè ignorem.

Veruntamen & tuus in me amor plane fraternus, quem quotidianis indicijs luculentissimè testatum esse voluisti, & ipsa sanguinis familiæque agnatio, mihi haud plus iuris, quam aliorum cuiuis tribuet, vt quod in altero temeritatis nota perstringeretur, id à me rectè & ordine factum esse iudicetur. Quantum enim fratribus ac patruelibus inuicem liceat, nemo ignorabit, qui res gestas Vladislai & Vitoudi in Polonia, Almi & Colomanni in Pannonia, in Gallijs Sigeberti & Clodouei, Ramiri & Garsiæ in Hispania, Vladislai & Boriuorij in Bohemia, Cichi & Schampettæ apud Insubres auditione acceperit; quique amicitiæ iura, & Naturæ digito exaratas consanguinitatis leges, ad seriæ cogitationis libellam expenderit.

Quæ tametsi non ita sese haberent, nescio tamen quomodo plus etiam aliquanto animi, ac audaciæ mihi sufficeret arctissima illa neces-

situdo, quæ Tibi cum Philosophia à puero intercessit, quam lucubratione penè quotidiana ita corroboras; vt vel cum Gorgiâ Leontino in Studijs consenescere, vel litteris cum Platone immori velle videaris. Certè quod patriâ egressus, Aristoteli in Germania Moguntiæ Sacramentum dixerim, ac in Peripateticam arenam descendens, statos Literariæ militiæ labores vtcunque exantlauerim, quodque post Sapientię curriculum immortali Dei beneficio tandem emensum, in veteranos ac rude donatos Philosophiæ Palæstritas allectus, ad Sapientiæ aram, tanquam ad Xysti metas feliciter, vti confido, hæream; Tibi potius, exemploque tuo, ac cohortationibus, quàm mihi ipsi acceptum fero. Neque enim me latet, qua diligentiâ, sedulitate, conatu ab ineuntis ætatulæ teneritudine, ad liberales disciplinas toto, quod aiunt, pectore incubueris; vt in intima sapientię adyta, sedemq; euaderes. Quam omnia addiscendi sitim, vt non modicis duntaxat haustibus temperares, sed totis fontibus expleres, in Italiam ac Germaniam contendisti; nec

nec vllis sumptibus duxisti parcendum, donec stipendijs legitimis omnibus in Philosophiæ Castris feliciter factis, laureâ dignissimus habereris: sicque ad solidam veræ doctrinæ ideam expressus, & exterarum nationum institutis, non minus solerti oculo quam Anacharsis olim, aut Charondas fecerint, perlustratis, animoque ad Remp. tractandam egregiè exculto, in Patriam secundissimis omnium ordinum votis regredereris. Ea propter hæ meæ positiones ad Magnificos tuos Penates traductæ, iucundam Tibi tuarum peregrinationum, vigiliarum, commentationumque, ac disceptationum Academicarum memoriam reuocabunt, & haud paulò certius quam Græcorum bellaria, aut Romanorum vuæ Labicanæ in te acuent mellitum illum Sapientiæ gustum, quo ante tot iam annos blandisimâ Musarum ac Mineruæ manu fuisti imbutus. Neque vllus dubitandi locus relinquitur, quin te honestissima voluptate Gratiæ omnes pleno cornu copiæ sint perfusuræ, cum in conspectum tuum Philosophia meo iussu ductuque abierit, quæ Te

Te ad res sapienter ac strenue gerendas, olim tam piè informauit, vt siue Te hodie Togatum Regni Curia intueatur, meliorem Senatorem ne votis quidem exposcere audeat; siue armis instructum signa & aquilas in hostem efferre videat, nulli potius, quam Tibi, fortitudinis palmam conspirantibus legionum suffragijs decernat.

Simul ac enim pedes in patriam retulisti, ne ad vitæ humanæ cultum iners spongiarum more socordiâ obtorpesceres, in luce ac oculis totius Regni palam versatus es: quandoquidem in Ser.^mi nostri Regis familiam adscriptus; tuam fidem, operam, prudentiam, fortitudinemque suæ Maiestati, patriæque vniuersæ, ita sole clarius probasti; vt posthac nihil tuæ virtuti arduum, nihil tuæ solertiæ inexpertum, nihil tuæ magnanimitati inexplicabile videatur. Non te morum luxus, vitæ licentia, blandæque illæ voluptatum Syrenes, in scopulos intemperantiæ, aut lasciuiæ Syrtes præcipitem egerunt; Non aulicæ ambitionis turbo ab instituto virtutis cursu reiecit; nec intempestiua honorum nundinatio, ad Iustitiam Fidemque domo exturbandam concitauit: Philosophia Tibi Minois aut Catonis alicuius instar, dies noctesque viuendi pręcepta dedit: Philosophia inquam diuino ingenio ita Te ad virtutis regulam finxit, composuit ad librile Temperantię, ad Iustitię normam efformauit; vt parasitorum præstigijs, pergræcationibus helluonum, assentatorumque commentis ac fuco nihil flagitiosius esse arbitrareris: ea duntaxat quæ ad Ser.^mi Regis honorem in subditos latè propagādum, ad scite tractanda Reipublicæ gubernacula, & ad optime de vniuerso regno merendum non parum commodi allatura perspiciebas, obuijs vlnis arripuisti: neque vllius vnquam periculi tam ancipitis tempestas ceruicibus nostris incubuit, aut bellum vllum tam fœdè in Remp. Polonam detonuit, cui fortunas, caput, vitamque ipsam non audacissimè inter primos obieceris, totumque te rediuiuo Curij ac Decij exemplo, pro Deo, Rege, Patriâ deuoueris. Nihil affectibus do, vt oratorio lenocinio Phaleratum aliquid, vanissimæque laudis adulterinâ

B cerussâ

cerusâ delibutum in maius attollam, assentandiue studio inescatus, Tibi inanium verborum pigmentis os oblinam: pleni sunt annales nostri, plena recentium historiarum monumenta, pleni castrorum Syllabi heroicorum tuorum facinorum encomijs, quæ contra Turcas, ac eorum Begos designasti; qui non modo aduersâ fronte congredientis, fulminantisque tui aspectum vix sustinebant; sed etiam nomen, ac famam tuam hodieque non iniuriâ perhorrescunt. Toties certe cum capitalibus illis Religionis Christianæ hostibus signa ac manum contulisti; eosque inter innumerabiles Commilitonum suorum cædes ad salutem effusa fuga pedibus quærendam præcipitasti; vt opimis spolijs demum relatis, Gloriæ monumentum omnibus Aegypti, Rhodique statuis perennius Tibi defixeris.

Et quoniam in eam ætatem incidisti, quæ fatali quadam serie, bella ex bellis, præliaque è prælijs, non aliter quàm de Cadmeâ messe olim Poetæ fabulabantur, seuit; descendendum Tibi in eam, quam virtus aperuisset Palæstram, semper censuisti; vt quod familiæ decus à Maioribus Tuis exquisitissimè ornatum, hereditate velut per manus acceperas, nouis facinoribus altius exaggeratum, & ab obliuionis situ ac puluere certius vindicatum illustrius etiam in posteros transcriberes. Hoc animo cum Ser.^mo nostro Rege in Sueciam armatus traiecisti, & quantum prudentia eniti, pugnare autoritate, viribus contra fortunam eluctari Tibi licuit, Regię dignitati plenâ, quod aiunt, remorum concitatione velificatus es: Deinde in Liuoniam ductus, hostem minutis aliquot velitationibus iuueniliter exultantem, gestientemque rerum antehac gestarum secundiore cursu, cum cæteris fortissimis viris è Polonia tecum iussu Regio egressis, ita fortiter es aggressus, ita contudisti strenuè, ita feliciter contriuisti, vt magno prælio victus, fractusque, præcipiti cursu in sua se, vnde emerserat, latibula ægerrime, copijsque penè omnibus internecione deletis, receperit. Pari fortitudine non semel cum VValachis manum contulisti, pulcherrimamque lauream gentilitijs tuis luminibus ac

 orna-

ornamentis inseruisti. Nam rerum à te in Moldauiâ ad priscorum Heroum inuidiam gestarum tanta est præstantia, felicitas, ac splendor, vt nec longissimi temporis vetustate intercipi, nec obtrectatorum iniurijs aut squalore vllo vnquam possit obsolescere: presertim apud eos, qui clarissimorum belli Ducum, & Imperatorum tuorum (in quorum oculis mirificum Tribunum, inuictissimumque militem agebas) prælia, ad recordationem posterorum sempiternam, ære Cyprio certius perennatura, rumore acceperint. Nihil de Tartaris dico, qui victricem illam tuam dexteram tum creberrimè aliàs, tum pronuper anno 1618. adeo reformidarunt; vt tametsi totam Podoliam spe, & cupiditate iam deuorassent, ferocitate etiam plusquam barbaricâ, vastitatem ac cædem Lithuaniæ, Russiæque minitarentur; numero denique tanto essent, vt instar maximæ tempestatis prouincias totas inundarent: Simul ac tamen signa nostrorum, Te quoque Duce conuelli, explicari aciem classicumque cani audiuerunt, Panico terrore exsternati fugam coturnicularum instar anxiè

anxiè circumspectârint: at quoniam viarum angustijs oportunè occupatis, illam hominum fæcem, ne elaberetur, tanquam ceruorum; aut galeatorum leporum indagine vnà cum alijs sepseras, abiectis armis, pacem vestro arbitratu, quibus quibus voluisses conditionibus supplices acceperunt. Moscouiæ verò dum recordor, tàm amplum mihi ad laudes tuas Tullianâ facundiâ exaggerandas argumentum obtigisse conspicor; vt Panegyri planè Isocratica, Plinianáue mihi opus fore animaduertam; si raram illam tuam fidem, qua Ser.[mi] Regis D. N. Sigismundi III. latus in tam difficili expeditione, non aliter quàm olim Alexandri Magni Lysimachus clausisti; Si laborum tolerantiam planè Herculanam, quâ nulli in obeundis muneribus arduis concessisti. Si constantiam animi, qua tot tantisque fortunæ telis expositus pro salute & incolumitate patriæ nostræ, velut murum te hostibus opponendo perdurasti, vsque dum Serenissimum Poloniæ Regem de hostibus triumphantem, in regnum maximo subditorum applausu reduceres. Si Heroicam animi

tui

tui fortitudinem in patriæ periculis, si quæ vnquam impenderent propulsandis, in hostium truculentissimorum sæuitia & furore prorsus indomito refrænando; si denique curam & sollicitudinem conseruandæ Reip. nostræ, quam verbis, vultu, oculis planissimè cùm aliàs, tum vel maximè difficili illo tempore declarasti: cum te Inuictissimi Regis nostri filio, Serenissimo Poloniæ Sueciæq; Principi Vladislao nuperâ in Moscouiam expeditione in tam difficili opere & arduo periculo comitem itineris adiungere voluisti, vt sicut aliàs sæpè, ita & tunc barbara illa Moscorum gens tuam victorijs de hoste creberrimis illisq; maximè arduis triumphantem dexteram experta fuisset. Verùm cum interea Brachium REGALE constituereris, iurique pro Tribunali totius tui Capitaneatus amplissimæ nobilitati dicundo à Ser.mo Rege præficereris, ideo te Comitem præbere nouæ tibi impositæ curæ non sinerent; ne tamen Patriæ deesses, quod tibi præsenti præstare non licuit, id per copiam tuorum militum Ser.mo Vladislao in partem laborum adiunctam, vt eò facilius ceruicibus horum immanium hostium iugum imponeret, præstitisti. Si (inquam) hæc & cætera multò maiora tua in Rempub. nostram merita, oratione mea non dicam illustrare, sed vel leui enumeratione quasi per transennam perstringere conarer.

Sed nimirum virtus tua in illustriori Gloriæ theatro est collocata, quàm vt vllis Oratorum illecebris, dicendique Veneribus ac concinnitate indigeat: Neque vel instituti mei breuitas, vel animi tui modestia permittet, vt hoc loco ac tempore, florentem illum Romanæ Eloquentiæ apparatum è Ciceronis ludo depromens, laudum tuarum præconem agam. Quò libentius etiam silentio à me tegi patieris singularem tuam illam in fide Regi nostro præstandâ constantiam, cùm paucis ab hinc annis multorum odio plus quàm Vatiniano penè deflagrare, vitamq; & fortunas tuas in apertissimum discrimen, per summum scelus vocatas, DEO & Iustitiæ permittere maluisti; quàm in perduellium partes, ac castra descendere,

qui

qui sub specioso libertatis, Priuilegiorum, & Rakoschanorum nomine in ipsa Patriæ viscera, adeoque in Serenissimum Regem debacchati, horribili bellorum ciuilium procellâ Regnum inuoluerunt.

Id vnum mihi & victorijs tuis omnibus ad prehendēdam gloriæ laureolam accommodatius, & manubiarum ab hoste toties reportatarū magnitudine admirabilius in Te videtur; quod Palladem cum Marte, Philosophiam cum Bellona, Arma cum literis, tam adamantino perpetuæ Societatis vinculo astrinxeris; vt neque in Castris Philosophari desinas, neque domi in Bibliothecam tuam inter Musas abditus militaris disciplinæ obliuione tangaris: vt quod olim de Palamede, Socrate, & Platone, Gręcia; id nunc de Te Polonia verissimis encomijs iactet, Te in Academiæ vmbra, & Lycei spatijs, solertissimum Philosophum; in campo autem, & acie inuictissimum Militem esse. Ac quemadmodum Xenophon quondam cum Cyro, cum Gordiano Cæsare Misitheus, Antiochus Cilix cum Imp. Seuero in ijsdem castris ita

versati

versati sunt; vt interdiu armis tecti contra hostem in equo excubarent, noctu de intricatissimis Philosophiæ quæstionibus scholas explicarent: ita Te Ser.^{mus} Rex noster, alijque excellentissimi Duces & Campi ductores Generales, non tantum vt fortissimum Tribunum amplissimis verbis pro concione collaudatum, militaribus donis virtutis ergò donandum censuerunt; sed etiam vt Virum Musis & sapientiæ natum non vulgariter sunt admirati. Neque rarò accidit, vt quod olim Architæ Pythagoreo Tarenti, & Epaminondę Thebis, & Phocioni Athenis, & Lælio Romæ euenerat, è medio studiorum cursu repentè abreptus, in ipsam bellorum flammā reijcereris: vbi tu eam tamen laudem in re bellica solerter tractandâ semper es indeptus; vt nunquam literas nec à primo limine salutasse; sed tanquam genuinus Martis pullus, aut Bellonæ alumnus, cum Achille dies noctesq; nihil nisi arma & pugnas cogitasse, somniasse, spirasse videri posses.

Proinde nemo omnium repertus fuit, quem admiratio inuaderet, cur Regia Maiestas

C Te

Te Patriæ totius voce, ac encomio in cœlos euectum, ad amplissimos in Regno Poloniæ honores euocaret. Nam tametsi virtus & sapientia, candidatos suos primis Tyrocinij annis, per quędam molestiarum quasi dumeta, ac tesqua vepribus obsita videantur raptare potius quàm ducere; sensim tamen in virentissimos campos, quibus nulla Siculorum Heloria, nulla Tempe Antiochenorum, nulli Phæacum, aut Semiramidis hortuli conferri possint, didu- cunt, & præter delicatam castissimæ voluptatis promulsidem, etiam facillimos aditus ad Templum Honoris muniunt: in quod Tu Deo auspice, duce Sapientia, Fortitudine comite, Rege euocante Poloniâque vniuersâ secundissimis ominibus applaudente, ita ingressus; aut potius triumphantium more, in pompa curulibus sellis inuectus es; vt primùm quidem nobilissimos tres Capitaneatus nancisceceris; mox ad illustrius subsellium elatus, amplissimæ prouinciæ Leopoliensis Castellanus renuntiareris: quo ipso tempore Regni Senator declaratus, & inter Illustrissimos Poloniæ Senatores Regia cooptatione adlectus, eò conscendisti; vt altius vllum in quod euadas fastigium, vix ipsa fortuna reperiat. Etenim siue Regni totius molem ad animum reuocemus, à Ser.mo Rege in partem laboris accersitus, deque vniuersa Rep. sententię dicundæ arbitrium iure quo qui optimo nactus, de summa diligentia nihil ne Atlanti quidem reliquum facis: siue prouinciæ tuæ latissimos fines accuratius perlustrare, ac obire lubeat; Nobilitati summo penè cum imperio ius pro tribunali dicis, plurimisq; vrbibus ac oppidis cum amplissima potestate præfectus, morum vitæq; censorem, Zaleuco, & Areopagitis iustiorem agis: siue deniq; oculos in rem bellicam torqueamus; totius tui Castellanatus, Dux & Campiductor Generalis designatus, lectissimas copias, quas Sacramento auctoratas, Tibiqve dicto audientes in hostem educas, es sortitus: Quas quidem dignitates, non in alicuius oppiduli angulo, sed in potentissimi Regni luce & sole collocatus, eo Tibi impensius gratulor; vtque eas immortalis Devs bene ac feliciter euenisse iubeat, precor, voueo: quò Te illis digniorem nemo non

indicat: quóque clarius perſpectum teneo, te à fortiſſimorum tuorum Maiorum veſtigijs ne latum vnquem deflectere; ſed Herculis, & Pythagoræ biuio ſolerter diſcuſſo, vnoque & eodem honeſtatis curriculo bonis auibus nixum, per omnes virtutum, ac honorum gradus, in ipſam immortalitatis arcem, ad Progenitores tuos eniti. Niſi fortè in Ampliſſimo Polonicæ nationis Regno quiſquam tam hoſpes, ac peregrinus reperiatur, vt neſciat, aut inuidiæ nebulis animo offuſis, Phormione cęcior euaſerit, vt videre nequeat, quos ac quantos Heroes excellentiſſima tua domus virtute obſtetricante, in lucem ediderit? Certe & Eccleſiarum Faſtos, & annales Reipublicæ, & Catalogos militares percurrenti mihi, Illuſtriſſimum agmen Epiſcoporum, Caſtellanorum, & Belli ducum, Capitaneorum, & maximis in Regno muneribus functorum Procerum, ſe offert; qui tanquam Iunonius partus ex inclyta hac ſtirpe oriundi, tam luculenta virtutum argumenta in omni vita expreſſerunt, vt æternæ memoriæ, tabulis firmius etiam quàm alij, obeliſco inſcripti, exquiſi-

exquiſitiſſimi honoris titulis cumulentur.

Ac niſi me intempeſtiuè facturum metus eſſet, ſi extra breuitatis cancellos, quos mihi circundedi egreſſus, rem totâ patriâ decantatiſſimam, non ſine Auditorum ſtomacho, in medium prolixa commentatione adducerem, non comitterem profecto, vt Ill.mos Tuos Maiores, Auum, inquam, IACOBVM, & Parentem STANISLAVM taciturnitatis quodam quaſi velo obnuptos præterijſſe, aut Chilonio dicendi genere vſus, non niſi ſtrictim & per tranſennam attigiſſe arguerer: cum varijs obſequijs Ill.mus Parens tuus non vni Regi, nec vno loco aut tempore ſumma fide præſtitis, varijſque victorijs in Podolia, Tartaria, Turcia, ac potiſſimum ſub inuictiſſimo Rege Stephano in Moſcouia & Liuonia fortiter relatis, exquiſita laude non exornandus ſolùm, ſed ad ipſos, quod aiunt, DEOS euehendus, cumque celeberrimis vrbibus, arcibus ac propugnaculis Anno 1579 Bolocenſi, Soltocenſi, Turoulana, Niſcerdenſi, Czernicio uienſi; Anno 1580 Vielizenſi, Vſuiatenſi; Anno 1581 Neuelenſi, Cholubcenſi, Chelmenſi,

mensi, alijsque & numero plurimis, & aggerum vallorumque obiectu munitissimis sub potestatem ac ditionem Regiam subiunctis, æternum gloriæ nunquã intermorituræ trophæum sint emeriti: quod in Annalium tabulis, ac recordatione posterorum sempiternâ tanquam in altissimis Gothorum rupibus aut Carpathi iugis erectum, orbi terrarum haud dubiè eò mirabilius ac illustrius allucebit, quod Illustrissimus Heros Parens tuus Regis STEPHANI Castrorum metator Generalis, pugnandi finem non prius fecerit, quàm Magnus Dux Moscouiæ post tot Vaiuodas suos multiplici clade fractos, attritosque tandem Liuoniæ vniuersæ gubernacula in Regis nostri manus consignare, & summi Pontificis, ac Imp. Cæs. Rudolphi Augusti authoritate interpositâ, pacem ab eo supplex exposcere sit coactus.

Sed nimirum vt & modestiæ tuæ, & Epistolæ huius breuitati aliquando consulatur, manum de tabula tollo; cumq; historiæ Polonicæ conditores viuis coloribus Tua, Maiorumq; Tuorum heroica facinora, viuis eloquentiæ coloribus velut colossum Aeternitati sacrum olim sint exornaturi: facilè adducor, vt stylum in laudes tuas tuorumque seu meorum potius, excurrere gestientem, luxuriantemque tanti argumenti prestantiâ, iniectis frenis coerceam.

Quod dum facio, Tu interea, vir Ill.me, quem mihi DEI Opt. Max. nutu, donoque sanguinis affinitas Patruum, Familię arctissima necessitudo Fratrem, Dignitas Senatoria Dominum & Patronum dedit, illâ frontis serenitate, quam TIBI Humanitas & Clementia ex ipsis Gratiarum fontibus affuderunt, hanc meam interpellationem sustine: interque grauissimas quibus sine missionis spe in omnem partem distraheris occupationes, dum verorum armorum fragor ad aures tuas allatus pacem magno tumultu exturbat, etiam literaria hæc, & prælusorijs diuerbialibusque simillima arma manibus contrectare ne dedigneris, inque hoc Philosophicum Armamentarium tribus contignationibus à me eductum, vti olim Cn. Pompeius M. è medio bellorum æstu ludum oratorium ingressus, quænam ex omni hoc

hoc apparatu, καὶ ὁπλοθήκη, ad digladiationem contra Peripateticæ Doctrinæ osores in Aristotelico circo suscipiendam valitura sint, qua soles animi perspicacitate planè Chrysippea, inspice, explora, secerne: meque, vt hactenus cumulatissimè semper præstitisti, fraterno amore, fauore ac patrocinio tutare. Ego in tantæ beneuolentiæ tuæ ac munerum vicem, quicquid à fidissimo fratre, & Cliente, per omnes obsequij officiorumque gradus exspectari potest, numeris suis absolutissime expletum, TIBI æternum repræsentabo. Moguntiæ E. I. A. D. 26. Iun. Anno à salute restaurata M.DC.XX.

Illustrissimæ Tuæ Dominationis

Obseruantissimus Frater

CASPARUS MAXIMILIANUS
Dobrynicki de Dobrynice.

ΟΔΑΡΙΟΝ ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ

DE EODEM

ILLUSTRISSIMO
DOMINO

D. MARTINO DE SIECIN IN KRASIZIV KRASICKI
&c. &c.



ARS Ottomannis ebrie cædibus
Ne Sarmateos Turcica classico
In bella raptas dum Tribunos,
Extuderis stadio Mineruam.

MARTINUS hostes acer in efferos
Sic Martiali fulmine detonat;
Vt erudito lucubrator
Sæpius inuigilet Lyceo.

Ne quære: si quem laude Polonia
Verace cœlis indidit, anxia
Effata doctus qui stagiræ,
Socraticam tereret Palæstram;

D Vnum

Unum ante cunctos, flexilis orbitæ
Nixum quadriga cœlite, vexerit
MARTINVM, & Heroum superbis
Addiderit titulis auorum.

Huic cura pernox postibus excubat,
Vt Orthodoxi sidere dogmatis
Flammatus, eluctetur atros
Hæreticæ colubros Medusæ.

Vtq; irretorto stat Iouis armiger
Contra ignisulcum lumine Cynthium,
Tedasque præpes non proteruo
Heliacas oculo lacessit;

Sic luce mentem fultus Olympica,
Stellata voto mœnia supplice
MARTINVS vrget, ne sacrorum
Degeneret statione Patrum.

Dein destinato pectore, cernuus
Fidele REGI seruitium vouet,
Et pace belloque irremissus
Obsequium famulare iurat.

Non sic Achates fidus ad Hesperæ
Ducem secutus regna Cytheriden,

In

In Lepticanas æstuosæ
Desilijt Libyes arenas:

Vt sceptra REGEM noster in Arctica,
Jnque arua stipans perfida Sueonum
Heros, refusum fulminali
Terruit Oceanum procella.

Quid quod notatam legibus inijcit
Astrææ dextram? nec Themis ipsa, nec
Nutante Minos lance, stringit
Gnosiacas melior secures.

Nec Dia primas segnior asserit
Doctrinæ partes: Thespia pollice
Palmeta truncans, fronde sancta
SICZINIOS redimit PENATEIS.

Quid Fortitudo? puluere Martio
Ad iusta totum prælia suscitat
MARTINVM, & armis marmoratam
In Titulos animat columnam.

O Lis forenses nescia rabulas!
O Lis Honorum conscia! diditur
Et totus huic, & totus illis
Arbitrio trutinatus æquo.

 Fron-

Frontem seueris tergite nubibus
Lycea; plausum pando Academia
Molire cælo: nam refulsit
Gymnasiis noua stella doctis.
At vos cruentæ barbara Thraciæ
Propago Turci, cedite: vindice
MARTINVS irâ Saracenas
Demetet excidio Phalanges.

ARMA-



ARMAMENTARII PHILOSOPHICI CRYPTO-PORTICVS.

ENS RATIONIS.

I.

AB entium minimo originem ducimus, eo scilicet, quod rationis dici solet: id nonnunquam tam largè accipitur, vt quidquid positiui Entis rationem non habet comprehendat. Quo sensu Vlysses Polyphemum exoculans, & Sol ad Antipodas deflectens in aëre Ens rationis producit.

II.

Huc reuocari à curiosioribus solent res ciuiles, prout in iure Aeliano, vel Decemvirali in tabulis XII. contra res naturales distinguuntur: Agnatio enim ex Milonis in Annios, vel Pub. Aemiliani in Cornelios, vel Attici in Cæcilios adoptione nata, arrogatioue, & imaginaria per æs ac libram venditio, aliaque quam plurima in iure Quiritium tam solennia, quid tandem re ipsa sunt? certe si vel legis abrogatione, vel vsu æstimari desinant, totum etiam, quod habebant esse, deperdunt.

III.

Nonnunquam Ens rationis id habetur, quod ab intellectu

 liberrimè

liberrimè quouis exerrante temerè confingitur, vt omnes Palæphati logos, strophas Sysiphij, Pyrrhandricas technas, Phrynondæ artificia, versutias Hyperboli; Cephissodori imposturas, & quicquid vel Scyllis Sicyonius confinxit, vel Eucrates commentus est, complectatur.

IV.

Propriè vero Ens rationis id agnosco, quod ea lege à solo intellectu per modum obiecti pendet; vt minime pro fingentis arbitratu efformetur; sed in reali aliquo fundamentum nanciscatur: qualia sunt esse Genus, dici speciem, haberi differentiam.

V.

In altiorem igitur gradum reijcienda sunt, quæ effectiue ab intellectu verissima effectione eliciuntur. Quis enim Colossum solis Rhodium, Archimedis speculum, Domum auream Neronis, Zenodoti Pauimentum, Gymnasium Apollodori, Ctesiphontis Dianam, totq; admiratione dignissimas moles, simulachra, tabulasq; arte factas & ingenio, è realium Entium albo eradi sinat?

VI.

Nisi vero habitum fidei à DEO infusum, scientiasque & habitus vniuersos, ipsas quoque species intelligibiles, siue à rebus acquisitas, siue Angelis, & Adamo quondam diuina manu insitas, pro Entibus rationis venditare lubet, reijcienda hinc etiam erunt omnia; quæ subiectiue solum in Intellectu hærent.

VII.

Esse Creatorem, Renuntiari doctorem, aut Magistrum, dici licentiatum, salutari Baccalaureum &c. Item dextrum & sinistrum in plagis mundi, &c. quibusdam ab Ente rationis non videntur differre: qui forte nō minori iure Augustos Pontificum Cęsarumq; titulos, inaugurationes equitum, templorum encœnia eodem traherent, quod mihi perabsurdum videtur.

VIII.

Hæc tamen, & alia pleraque quatenus ab Intellectu cognoscuntur & consequam inde relationem rationis sortiuntur, Ens rationis logicum, vel intentio secunda logica vere appellantur: vniuersim autem quamlibet denominationem extrinsecam in Entium rationis Classem digerere, minime boni Philosophi est.

IX.

Longius iusto prouectus est Franciscus Valerius, qui cum Bernardino Mirandula, contra constantem Philosophorum assertionem ausus est pronuntiare, nullum omnino Ens rationis dari, ne si Chimæras quidem & lamiæ turres, solisque pectines, animo ac cogitatione expresseris.

X.

Lis aliquamdiu fuit sub Iudice, an fractura remi quæ in aquis apparet; an color qui in columbarum collo ex aduerso radiorum solarium iactu intermicat; an iudicium Anaxagoræ, quo solis orbitam aliud nihil, quam ignitum saxum esse pronuntiabat; an Pisandri metus necubi propriæ animæ obuiam fieret, an fictitius nasus quem sibi nescio quis ad terram vsque propendere somniabat, Entibus rationis asscribi debeant? Sententia pro ijs, qui negant, videtur data.

XI.

Qui eminus Moguntiæ appropinquans, turrim Sancti Quintini quadrilateram, S. Stephani hexagonam, Metropolitanæ vero ædis octogonam cōspicatus, eas non nisi rotundas oculo percipit, fallitur quidem; rotunditas tamen illa Ens rationis dici non debet. *De coloribus Indis suo loco pronuntiabo.*

XII.

An ciues Cracouienses circa decimum quartum seculum Ens

Ens rationis finxerint, cum à VladislaoLoctico Polonorum Rege obsidione cincti; montesque eius iussu farina obductos conspicati, ingentem castrensium commeatuum vim hosti superesse crediderunt, problema esto.

SOMNVS.

I.

FOrmalem Somni causam assignare nemo propriè poterit, cum sit priuatiuum quid, passim tamen ligatio sensuum externorum, (vel priuatio vigiliæ) dicitur, instituta ad animantium quietem & incolumitatem.

II.

Qui sensus omnes externos perfectè somno ligari asserunt, lethargum credo aut stuporem vel deliquium quoddam comminiscuntur; certe aceti odor naribus aut plagæ membris admotæ, à dormientibus vt plurimum sentiuntur: id enim, ni fieret, non expergiscerentur.

III.

Quocirca de fœlici illo somno seruorum Christi non agimus, qui extra se rapti cælestium rerum contemplatione altissimè defixi hærent: qualis fuit inprimis magnus ille Apostolus, in corpore, an extra corpus: & exstatici illi: qui, vt apud D. Dyonisium est, diuina patiuntur.

IV.

Somnus plantis non conuenit, vt Pythagoras somniabat, sed animalibus solis, an etiam omnibus? Sic arbitror, vere enim dictum à Poeta inprimis bono Aeneid. 8. Nox erat, & terras animalia fessa per omnes, Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.

V.

Animalium omnium penè somnolentissimus est homo, in infantia præsertim; imo vitam ipsam à somno auspicamur, si medicis credimus, maximamq; partem illius temporis, quo in angustijs materni vteri, delituimus dormiendo exegimus: non immerito proinde Philosophus defleuit, homines maiorem vitæ partem dormiendo, quam vigilando exigere.

VI.

Neque Physicus facile diffitebitur Adamum & posteros, si in iustitia originali perstitissent, somno vsuros fuisse, euaparationes enim ab alimento è stomacho in cerebrum ascendissent, haud aliter quam nunc: nullam siquidem naturę vim beatissimus ille status intulisset.

VII.

Minimè igitur audiendus est Arist. si (quod eius verba præseferunt) docuit, somnum non in cerebro, sed in corde formaliter fieri, cui rei magno est argumento, quod potentiæ vegetatiuæ, nonnunquam etiam potentia motiua, inter dormiendum non ferientur, nec pulsus arteriarum, (à sanguine & calore cordis haud dubiè excitatus) conquiescat.

VIII.

Somnium sic describo. Est apparitio exhibita per sensum internum in ijs, qui somno sopiti sunt: fieri solet cum vel humor, vel qualitas inter dormiendum sensum externum commouerit; ab illo enim Phantasia excitata, imaginatur aliquid illis humoribus, vel qualitati conueniens: hac de causa pituitosi & humidi frequenter inundationes & submersiones, Cholerici cædes, & iurgia somniant.

IX.

Solus DEVS nouas species producere, ac somniantis phantasiæ obijcere potest. Angeli vero non nisi humores variè commouendo, aut species, quæ organo Phantasiæ inhærent, diuersimodè combinando agitandoue, inde enim varia spectra visionesq; elici quis non videt?

E Somnio-

X.

Somniorum varietatem designaturi veteres sub involucro fabularum somno tres ministros assignant: Morpheum, Icelonem seu Phabetorem, & Phantum siue Phantasum: Vide Ouid. lib. 11. Metam. nos in Diuinum, Angelicum, & Naturale diuidimus; alij adijciunt animale.

XI.

Huc spectat Ephialtes, qui vt plurimum non est nisi impurus sanguis, & densus, fuligineque oblitus spiritus, qui & cerebro & cordi infestus imminet, magni instar ponderis. Negandum tamen non est, DEI permissu subinde incubos id verè esse, quod vulgus credit, triueneficas scilicet, ac interdum ipsos dæmones sub visibili schemate.

MORS.

I.

A SOMNO ad mortem, nec sine ordine; nam & Diogenes Cynicus apud Laërtium, & apud Stobæum Gorgias Leontinus, & Poetarum non nemo somnum nihil aliud esse sunt arbitrati, quam mortis fratrem: Philosophicè tamen sic definio: Mors est abscessio animæ à corpore organico, ob innati caloris defectum.

II.

Minimè etiam paradoxum est, omnem animantem frigore interire, etiam eam quæ flammis exuritur, aut vino adusto intemperanter hausto extinguitur, aut instar Constantini Copronymi intolerandos sub vltimam vitæ lineam æstus perpetitur.

III.

Multum pugnat Galenus & Valesius nullamq; mortem homini naturalem esse, sed violentam omnem accidere demonstrant: quibus facile assentior: neq; enim arbitror humidum radicale (vt vocant) à calore naturali, qua naturalis est, absu-

absumi: sed quatenus ob extrinsecam causam à natiua sua mediocritate exorbitat, quod calore, frigore, fame, crapula, insomnijs &c. facilime contingit.

IV.

Nec quicquam contra nos facit, quod non pauci (præsertim senio fracti) tam placidè animas reddant, vt obdormiscere, non emori, aut lucernæ instar absumpto oleo euanescentis occumbere videantur, cum enim & sensibus sint hebetibus admodum, vix aliquam violentiam persentiscunt, & calorem habeant omnino debilem, facile à minimo extrinsecus alterante subiguntur.

V.

Augustissimam tamen matrem Mariam ab hac violentia volentissimus excipio, eamq; obdormiuisse potius, quam præmortuam dicendum reor: cum benedictam animam non aliqua humorum intemperies, non caloris natiui extra naturę suę metas lacessiti vis inimicior, non deniq; morbus aut vis ab extrinseco illata; sed sola euocantis filij voluntas à virgineo corpore suauissime exoluerit: idem fere à nonnullis de Moyse non improbabiliter dicitur.

VI.

An ergo mors ab vllo vel hominum vel animantium vitari potest? ita quidem videtur Chymicis, præsertim non sanissime philosophantibus: cum enim senectus & mors ab extrinseca causa, vt diximus, eueniat, non dubitant quin humanâ industriâ ea omnia solertissimè caueri possint.

VII.

Sed nimirum irreuocabilis stat illa lex Hebr. 9. Statutum est hominibus semel mori. Vixerit sane Ioannes de temporibus annos 361. Apollonius Tyaneus 180. Mathusalē 969. Sybilla denique 1000. tandem ab hac statione vitę decedendum fuit, nec pauperum tabernæ vllæ tam humiles, aut turres Regum tam superbæ, quò mors cruenta falce non contingat.

 Adde

VIII.

Adde quod nullius sufficiat industria, vt ea; quæ caloris innati temperiem ab extrinseco dispescunt, prohibeat: etsi enim singula seorsim & diuisiuè sumpta deuitentur, omnia tamen vniuersim vitari non possunt. Nam vel aër qui circumstat, vel alimenti qualitas, vel inimici syderis afflatura, vel anni vicissitudines, vel inopinatus quispiam casus hanc symetriam disturbabit.

IX.

Quid, quod si vel hæc omnia maximè abessent, calor tamen, & humidum radicale totaq; illa corporis nostri ex Elementis pugnantissimis compages, natura sua mortalis seu corruptibilis est, vt aliquando soluenda sit, tametsi nulla magnopere causa nobis appareret. Certe & protoplastus noster, & ab illo omnes descensuri, quantumuis in paradiso perstitissent inter salubria omnia, tandem occubituri fuissent: nisi benignissimus DEVS post aliquot seculorum centurias, hominem, priusquam fatis concederet, in cælum extulisset.

X.

Arbor enim vitæ eam vim non habebat, vt corpus ex se corruptibile æternis seculorum durationibus, incorruptibile efficeret, imo & ipsa, vt illustres Theologi docent, post plurimas annorum myriades peritura fuerat. Nomenclationem autem Arboris vitæ inde sortita est, quod ætatem ferret incredibilem & homini ad longissimam durationem, humidum radicale, caloremque ingenitum restauratura fuerat.

XI.

Prodeant igitur Alchymistæ, prodeat Alexius Pedemontanus, & quam se procurare posse immortalitatem gloriabantur, in se ipsis exhibeant. Medeæ cocturas & Hebes nectar, & auroræ succos Tithono infusos apud Poetas non moramur. Specimen tantæ artis deposcimus: frustra: Illi ipsi, qui hæc

hæc velut è tripode iactabant, fatis subacti sunt, ætate plerumque immaturâ.

VACVVM.

I.

IVRATVS vniuersi hostis est vacuum, locus carens corpore, aptus tamen eo repleri, quod in rerum natura poni, ne inanimæ quidem mundi partes patienter ferunt: Etenim vel proprijs sedibus excussæ vel in minutissimas partes disruptæ dissiliunt potius quam vacuum admittant: Quare cum orbis vniuersus ad illud abarcendum omni ex parte coniuret armeturque, fit vt ne ab Angelis quidem posse constitui videatur: quod si tamen virtute diuina daretur, moueri aliquid in eo naturaliter non est inconueniens.

FORTVNA ET FATVM.

I.

FRVSTRA explorandis alienis operam sacramus, si, quæ domi nobis condita sunt, delabi patimur, aut vi tolli. Non defuerunt quondam nec hodie desunt, nullius notæ Philosophastri, qui cum Democrito, Heraclito, Empedocle, vt fatum astruant, libertatem arbitrij nobis impiè extorquent.

II.

Si tamen fati nomine æternam quandam diuinæ prouidentiæ cuncta rectè administrantis seriem, legemue obtendas, non repugnabo: modò ne Angelis hominibusve liberè operantibus necessitatem imponas. Aegisthus in adulterium, in Sacrilegium Boleslaus, Drahomira in parricidium, in auaritiam Euclio Plautinus, Ezelinus in tyrannidem, alius in aliud flagitium, non fato, sed voluntate ruit.

III.

Apagè etiam quisquis fortunæ Numen inesse ratus, eam cœlo locas: Melius de DEO Christiana Philosophia sentit. Non ille otio fluens circa cæli cardines inerter desidet, & cæcæ huic meretriculæ volubilem rotam voluenti, liberas habenas permittit. Neque salis quicquam in illo Stoicorum: DEVM minima non curare, quasi araneoli cum Muscis lucta DEVM potius, quam Nili catadupæ fugiant.

IV.

Fortuna igitur nihil aliud esse censetur, quam cum quid præter spem ac mentem in ijs, quæ parum considerate ob aliquem finem suscepta sunt, euenit, quale fuit sopitis excubijs vrbem Romam ab anseribus conseruari; spumas equinas à penicillo temere eiecto in tabula optime exprimi, Herculem in pugna à cancro iuuari, vniuersum Cæcinnæ Romani exercitum, conspectu equi Germani in fugam impelli &c.

MONSTRA.

I.

NATVRA hominem mundo velut theatralibus spectandis induxit: diuerbijs iam opus erat, vt in tanta rerum satietate animus vel metu subactus vel rei nouitate illectus, alacrior ad illa se accingeret, Monstrum igitur inducere placuit; cuius conspectu, quà terror improbis, quà auiditas discendi sapientibus inijceretur.

II.

Porro Monstrorum quædam ob aliquam materiæ vel prauitatem, vel defectum totas familias, imo gentes occupant: *tales erant Arismaspi apud Plinium, quib. natum vnum in fronte oculum affixit. quod fabulæ* de Polyphemo ac Aetneis fratribus frustra olim persuadere conabantur: tales Atracheli & Acephali, quorum hi, vt apud D. Augustinum est, capite orbi,

oculos

oculos in humeris ostentant; illi informem capitis truncum sine ceruice scapulis sustinent: tales Cynocephali, & apud eundem Aurelium, Sciopedes, qui pedum vmbra ardorem solis defendunt; tales denique sunt auriti illi in Africa populi, tam insigniter scilicet, vt aures ad vtrumque talum penulę instar defluant, in quas, cum lubitum, se involuunt.

III.

Huc dissimillimæ hominum laruæ, & generis nostri opprobria dicam, an terriculamenta? reuocantur. Pigmæi videlicet & Gigantes. Gigantum præcipui fuerunt Amorræi (qui ex stirpe Enacim descendebant) Emes & Zamzumes in terra Moabet, Ammon, Titanes, Cyclopes, & Heroes omnes (excepto Tydeo) Nanos vero Aegyptus, Troglodytæ, Aethiopia, & Arabia præcipue gignit, vt Hom. Arist. Plinius meminerunt.

IV.

Alia vero non nisi hos aut illos afficiunt. Anno 1494. Cracouia duplex monstrum vidit, vnum in platea S. Spiritus, vbi mulier exanimem infantem peperit, cuius dorso serpens viuus inhærebat, cadauer arrodens. Alterum in villa suburbana (Nigram dicunt) editus est enim infans collo, & auribus leporinis, hiante rictu intestino vnico totum ventrem occupante; cætera homo.

V.

Horridiora sunt, quæ in aliam planè speciem degenerant: Salernitanas mulieres Lacertorum genitrices, Leunculum à Regina Lydiæ, ab Alcippe Elephantum, agnum à boue, sub initia belli Hierosolymei genitos non attingo: hoc suffecerit. Anno 1595. die 14. Martij in Baccharach. ad Rhenum homini ebrioso pariter ac Deûm contemptori natus est infans, qui anteriori superioriq; parte hominem referens, caudam trium vlnarum trahebat: is ad impii patris adspectum in aere circumuolitans, horrendumque falconis instar sibilans,

non

non diutius vixit, quam illum venenatis ictibus, & matrem dolore interemisset, astantibus illæsis. v. Michaelem ab Isselt.

VI.

Euenit etiam nonnunquam vt infans biceps aut bicorpor in lucem edatur, de quo lis anceps, vnusne an geminus homo censendus sit. Ego hanc legem cum plerisq; statuo. Si voluntatis ac iudicij aut cogitatuum diuersitas obseruari possit, duos videri & vt duos baptismatis sacris vndis admonendos. nobile huius rei documentum prodit D. Aug. lib. 16. de Ciu. DEI, cap. 8. Natum in oriente infantem duo capita, duo pectora, quatuor manus, ventrem non nisi vnum, pedes quoq; duos duntaxat habentem.

VII.

Hac igitur in controuersia Medicorum & Physicorum iudicio standum, si affectuum contrarietas in infantibus se nō prodat: nam si duplex cerebrum aut cor habuerint, facile hactenus Galenus & Arist. vt duplicem partum pronuntient, adducentur: eum in finem pulsus arteriarum, venarum, musculorumq; plurimum conferet, ex quo facili negotio de cordis duplicitate Hyppocratis schola sententiam feret.

LOCVS.

LOCVS Aristotelicus est superficies corporis continentis immobilis prima, ita commensurata corporibus, vt nec plura in vno nec vnum in pluribus spatijs vlla vi, nisi diuinâ, concipi queat.

TERRA.

I.

IMVM ex omnibus locum terra sibi postulat, viuorum simul & defunctorum blanda receptatrix cum aqua sphæram, seu globum integrè quidem constituit, sed non nathematicè eius ambitum recentiores definiunt milliaribus germanicis quinquies millenis & quadringentis.

II.

Ex hoc globo dubium esse non potest, multo maximam partem terræ tribuendam, cùm aquæ profunditas vix vsquam ad ducentesimam semidiametri terræ descendat; de exteriori superficie non ita planum: Scaliger enim duplo maiorem aquis assignat, alij ferè parem vtramq; faciunt: Cosmographi tamen non obscurè aliquanto plus spatij Oceano & aquis tribuunt, quàm terræ.

III.

Magnum planè ac penè diuinum ingenium Nicolao Copernico fuit: sed is parum tamen candide philosophatus: obsoletam Niceæ Syracusani hæresin in lycæum reuehere est adnixus, ac cœlum quidem immobile, terram autem continue in orbem circumagi finxit.

IV.

Non meliore censura dignus est Heraclitus Ponticus & Ecphantus Pythagoreus apud Plutarchum, qui cœlos quidem ab ortu ad occasum gyrari, terram tamen ab occasu ad orientem obluctari obuolutariq; somniauit: hallucinati sunt & Pythagorici, qui terram non in medio vniuersi collocabant, sed circa mundi centrum versatilem esse confinxerunt.

V.

De Archimede quid statuemus? is se terram loco moturum incredibili artis suæ confidentiâ iactabat, si alteram haberet vbi pedem figeret; crederem fortasse, si Tellus Atlantis vel Herculis humeris incumberet, nunc Homerum suum audiat Iliad. 8. Si dij deæque omnes terram loco mouere vellent, frustra contenderent.

VI.

Fixum igitur immotumq; esto, terram fixam immotamque

que consistere, quod sic accipi volo, vt de tota eius mole non his aut illis partibus accipias, quoties enim vel exhalationes vel atrocior ventus, vel ignes subterranei terræ visceribus inclusi magno conatu foras prorumpere moliuntur, terræ motum plerumque causant, à quo Poloniæ regnum ita ferè securum est, vt prodigii loco si quandoq; accidat, habeatur: neque facile alias quod anno 1443. obseruatum, euenit, cum scilicet Nonis Iulij per omne Illyricum, Pannoniam, Noricum, Boiohemiam, Silesiam, Saxoniam, Pomeraniam, Marchiam, Poloniamq; vsq; ad Moschorum fines tellus horribiliter mouit.

VII.

Terram quauis sui parte habitabilem esse non dubitant recentiores Geographi: tametsi ad Austrum plagæ omnes necdum detectæ sint, & quoniam Antipodes dari antiquis philosophis incredibile fuit visum, mirum non est, Aristotelem ratiunculis quibusdam ductum, negasse torridam & frigidam Zonas habitari posse.

VIII.

Terrarum varia passim celebrantur miracula, ac proinde cum obuia sint, ea hic tacitus pręteribo. Quid enim attinet percensere, quid quæq; tellus ferat, quid recuset, quid moliatur? Vnum ex Martino Murinio in Chron. Prussiæ accipite: in Polonia oppidū est Postiliæ diœcesis Chelmensis; cui campi & syluæ adiacentes pinum germinant, ea natura ac quasi genio, vt quæcunq; pars auulsa fuerit, tandem in silicem degeneret; mutuoq; attritu nihilo secius quam Chalybs cum silice ignem eliciat, duritie quoq; cum quauis cote certet.

METALLA ALIAQVE MINERALIA

I.

NEc Mercurium, nec lapidem philosophicum, nec Magnetem, nec Coralia, nec omnino metallum vllum vegetari asseró, quidquid de lapide suo philosophico tandem domi suæ fatis concedente Hier. Cardanus nugetur.

II.

Gemmas quasdam in mari aut fluminibus generari posse non inficior, de metallis vt idem asseram hactenus non sum persuasus. Pactolum, Hermum, Gangen, Tagum, Iberum, Idaspem, Hytanin, Padum, & si qui plures celebrantur fluuij, auriferos passim dici non nescio: sed id eò fit quod ex auri venis, quas transeunt, scobem arenamq; prouoluant.

III.

Metalla in nubibus concrescere, raro tamen, tenendum est: superiori memoria in ea Hispaniæ parte, quæ Valentia dicitur, massa lapidea metallicis venis infecta, è nubibus excussa est. Auicenna quoq; autor est, non semel inter nubium collisiones ac coruscationes ænea corpora excidisse: & fortean tale quippiam fuit ancile Martis, Palladium &c.

IV.

Ordinaria tamen Metallorum latibula sunt, defossi specus; sæpe etiam prope extra terram eminent, Alex. Neapol. testis est in Rhetia Alpestri non rarò vites hyeme defossas, appetente vere cum refoderentur aureas apparuisse & iam olim de Pyreneis ferebatur, cum syluæ illic succensæ essent, aurum ac argentum, riui instar palam fluxisse.

V.

Metallorum materia est tum halitus humidus & calidus, tum vapor, ea tamen lege, vt humor vapori præualeat, siccitas tamen & frigus quo congeletur non desit: Hinc fit vt propter siccitatem facilius ignem concipiant, ob humorem verò liquescant: hæc enim liquatio omnibus communis est, sicut & grauitas & lentor (qui ducentis vel ferientis manum sensim sequatur) & soliditas excepto argento viuo.

 Cau-

VI.

Causam illorum principalem Efficientem frustra in Elementis perquisiueris, ascendendum est altius, & à sole maximè, cæterorumque syderum virtute tam nobilis effectus petendus. Cælis enim debet potissimum Peru, Monomotapa, Insulæ Ophis, Rhetia, Boemia, Voitlandia, Gostarda, Hispania, Noricum, Chalybes, Britannia &c. cur præ tot alijs prouincijs auro argento, stanno, ære, ferro aut chalybe fæcundentur.

VII.

Metalli venas primus Tubalcain exercuisse fertur, qua laude insignes præ cæteris fuerunt Turditani, Celtiberi, Tolosani, Setæ, Chrysæ, Thasij & Astures, nostra memoriâ Lusitani, ac Hispani in Indiis, in Europa Saxones ac Tyrolenses præcipuè excellunt: certè cum nuper in Scotia sub IACOBO VI. auri argentique venæ detectæ essent, nec eas Scoti Angliq; sciíè tractarent, Saxones à serenissimo Rege illuc euocati sunt.

PENE-

PENETRALE INFIMVM.

MODVS DISSERENDI.

I.

LOGICAM siue Rationalem Philosophiam, Artem artium, scientiarum omnium directricem in acceptis Aristoteli iure merito ferunt Peripatetici, eamque organum Aristotelis nuncupant. Nos eandem scientiis Philosophicis, adeoq; Philosophiæ partibus accensemus, iuxta communem illam, & peripateticam Philosophiæ partitionem in Naturalem, Moralē, & Rationalem.

II.

Non leuis inter auctores de obiecto attributionis huic scientiæ statuendo dimicatio, dum nonnulli argumentationem vel in communi, vel aliquam ex potioribus, vti est demonstratio, nonnulli voces & Entia Rationis: Alij verò intellectus operationes dirigibiles aut rectificabiles constituunt. Nobis conformius rationi visum sciendi siue disserendi modum, qui cernitur in ipsis intellectus actibus, adæquatum Logicæ totius obiectum statuere.

III.

Obiectum hoc, quia practicum est: vel potius ipsa quædam praxis est, quam logicè ad practicos Intellectus habitus præcipue reuocat, fit vt hæc scientia inter Actiuas artes censeatur, nec idcircò tamen principem dignitatis locum Mathematicis scientiis cedit: alias quoque, quæ ex intrin-

ſeco fine in praxin totæ feruntur, longè anteſtat.

PRÆDICABILIA.

I.

PRINCIPIORVM vice quinque vniuerſalia ſeu Prædicalia funguntur, ac modo diſſerendi non ægiè inſeruiunt: & quoniam quædam in eſſendo, in prædicando alia verſantur: priora quidem per aptitudinem ineſſendi pluribus: poſteriora per aptitudinem prædicandi de iiſdem aptè definiuntur. Vtraq; autem hæc aptitudo non in modo aliquo reali & poſitiuo rerum vniuerſalium, ſed potius in non repugnantia conſiſtit.

II.

Longius à vero deflexère Platonici (ſi tamen in Lyceo à Peripateticis die dicta tam abſurdi commenti non iniuria poſtulantur) qui Ideas, ſiue naturas vniuerſales à ſingularibus ſeorſim exiſtentes in Academiam inuexerunt, ſed & ij à veritatis ſcopo longè exerrant, qui aliam præterquam rationis diſtinctionem inter gradus vnius naturæ ſingularis metaphyſicos admittunt.

III.

Naturæ vniuerſales cum in ſtatu triplici ſpectari queant, eſſentiæ nimirum, exiſtentiæ realis & exiſtentiæ duntaxat obiectiuæ in intellectu. Si poſtremo ſenſu accipiantur formalem rationem veri vniuerſalis nanciſcuntur, ſiue id abſolutum dependens à directa poſſibilis intellectus operatione, ſiue reſpectiuum ſeu logicum dependens ab actu reflexo fuerit: eſtque hoc poſterius aliquo modo genus vniuocum ad quinq; prædicabilium ſpecies.

IV.

Primum prædicabilium eſt genus, aptum ineſſe multis ſpecie differentibus, de iiſque prædicari in Quid incompletè, cuius definitionis definitum eſt, non Genereitas in abſtracto, neque Aggregatum ex natura & genereitate, ſed ſecunda intentio in concreto. Id eſt, natura quâ ſubſtat ſecundæ intentioni, ſiue genereitati tanquam conditioni ſine qua non prædicaretur de pluribus ſpeciebus.

V.

Celebre quidem & conſpirante Philoſophorum ſenſu receptum effatum eſt genus ex materia, Differentiam ex forma ſecundum quandam proportionem & ſimilitudinem deſumi, vniuerſim tamen loquendo genus à tota potius entitate rei, ſeu eſſentia deſumi ſtatuendum eſt.

VI.

Species eſt apta per modum identitatis ineſſe pluribus numero differentibus, de iiſq; prædicari in Quid completè. Generis quidem primum correlatiuum eſt, non tamen adæquatum, poteſtque vti & genus in vna aliqua parte ſubiecta, ita in vno indiuiduo fundamentaliter ſumpta quoad eſſentialia, non tamen formaliter quoad vniuerſalitatem conſeruari.

VII.

Indiuiduum ſpeciei correlatiuum, in actu ſignato ſumptum, ſic definiri poteſt: Indiuiduum eſt id, quod de vno ſolo prædicatur, identicè ſcilicet & impropriè.

VIII.

Tertium prædicabile differentiam definit Porphyrius, eſſe id, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quæſtione quale quid: quæ deſcriptio propriè genericis competit, cùm ſpecificæ (quales admittendæ neceſſariò ſunt, eęq; ſimplices cum infima ſpecie reciprocæ) de numero differentibus immediatè prædicentur.

Pro-

IX.

Proprium nec in abstracto, neque in Concreto comparatum ad sua inferiora, constituitur quartum vniuersale, sed comparatum ad subiecta, quibus inest, & de quibus prædicatur accidentaliter. Accidenti deniq; , quod ab Essentia necessaria consecutione non promanat, ac proinde contingenter solummodo prædicari aptum est, hæc vulgata competit definitio: Accidens est, quod adest & abest sine subiecti corruptione.

PRÆDICAMENTA.

I.

CONtentiosissimis veterum Dialecticorum digladiationibus finem allaturus Aristoteles, Categorias numero denario circumscripsit: ea lege, ne quam vel loco motam extrudere, vel auctarij loco adiicere liceat. In earum recta serie collocantur Entia Realia finitæ seu limitatæ perfectionis, Completa & Incomplexa: & quidem in substantia res in concreto, in Accidentium vero Categoriis abstracta locum obtinent.

II.

Substantia sex proprietatibus illustris, reliquas Categorias dignitate anteit, diuiditurq; in primam & secundam, quæ diuisio Analogica est analogiâ scilicet attributionis vnius ad alterum.

III.

Nolim tamen substantiæ nomen tam largè accipias, vt incomprehensibilem DEVM ambitu suo claudat; quantumuis etiam principem sibi locum in substantiis meritò vendicet, quia tamen nullis essendi nec durandi terminis cohibetur, ne huius quidem Categoriæ angustiis cohiberi potest. Intelligentiæ verò, corpora cælestia, & si quæ præter has sunt corruptionis expertes substantiæ, peculiarem in ea sortitæ sunt definitumq; locum.

IV.

Quantitas affectio prima substantiæ corporeæ formaliter est ens per se extensum, extensione scilicet situali, eaque non actuali (cum præter infelices Sacramentariorum cœtus, qui sanctissima Orthodoxiæ fundamenta temerè concusserunt, Christianis omnibus certissimum sit, in Augusto Eucharistiæ Mysterio, corpus verè quantum, sine partium extra se positione ac extensione conseruari) sed eâ, quam vocant aptitudinalem.

V.

Præter relationes substantiales & increatas in Diuinis, easque, quas transcendentales philosophi nuncupant, admittendæ quoq; sunt reales; quę distinctam à cęteris categoriam constituant. Eæ subiectum & fundamentum poscunt reale, quod potest esse proximum substantia.

VI.

Ratio quoq; fundandi siue negatiua siue positiua fuerit, aliquid à parte rei sit, & à solo intellectu non pendeat necesse est, ex qua realitate fundamenti minimè inferas licet, relationem à fundamento suo re ipsa diuulsam esse, cum solummodo ratione ratiocinatâ discrepet.

VII.

Relationum esse, qua tales sunt, totum est ad aliud, ac proinde terminum essentialiter respiciunt, qui cum in non mutuis sit absolutus, similiter ad tuendam relationis essentiam in mutuis probabilius est absolutum quoque sufficientissimum esse, qui sit terminus relationis oppositæ.

VIII.

Supremum huius categoriæ genus est relatio in communi, quod non vnam speciem sua capacitate velut sinu concludit,

cludit, videlicet relationes mutuas, quæ referuntur ad id (relatione scilicet prædicamentali) quod vicissim refertur simili respectu. Item æquiparantiæ; cuiusmodi sunt similitudines & æqualitates, & disquiparantiæ, vti sunt paternitas & filiatio.

IX.

Discrepant philosophi de relatis quibusdam disquiparantiæ, qualia sunt Pater & filius, vtrum ille pluribus, an vnico respectu plures filios & hic similiter pluribus patrem & matrem respiciat. Nobis litem omnem dirimere videtur ipsa terminorum diuersitas, vt pro vario eorum numero ipsos quoq; respectus multiplices statuamus.

X.

Qualitas, qua res dicuntur quales formaliter, in propria quæstione qualitatis, est accidens absolutum substantiæ creatæ, cuius eæ sunt partes vt vel naturæ imperio, vel ductu artis substantiam non exornet solum, sed etiam quodammodo numeris omnibus expletam perfectamq; reddat, tum in essendo, tum in agendo. Quatuor eius combinatæ species differunt essentialiter, singula verò membra quatuor harum combinationum accidentaliter, exceptis habitu & dispositione.

XI.

Reliquæ sex Categoriæ nec è Prædicamentorum albo sunt expungendę, vt illiteratum vulgus olim censuit. Nec tanta est Autoritas Scoti, vt eas ex Entium verorum classe deturbatas in meros quosdam respectus tanquam in vapores & nebulam euentilemus. Sed Actio quidem, Passio, Vbi, Situs sunt reales modi. Quando differt ratione tantum à re existente. Habere est denominatio extrinseca.

DE

DE SIGNO NON VOCALI.

I.

SIGNORVM quædam sunt, quæ cum apud omnes idem significent, meritò naturalia dicuntur: nisi fortè fumus ignem, vestigia feram, lethalis pallor morbum, aut aurora rutilans tempestatem alicubi non significet. Quædam verò non infallibilia omnino sunt: qualis à non nemine perhibetur acus magnetica, quam qui hodie mare transfretant, in aquilone explorando mentiri subinde deprehenderunt.

II.

Natiuas etiam & congenitas notas, quas infantes ab vtero materno in lucem deferunt, physicorum ingenia considerent necesse est: cum iam olim Seleucidis anchora, lancea Spartis, acinaces Turcicus dextro brachio Scanderbechi Epirotæ adnata doctissimos viros exercuerint non minus quam interpretes illud Maronianum: Dic quibus in terris inscripti nomina regum, nascantur flores.

III.

Doctrinalia signa sunt, quibus in docendo, discendoue vtimur, huiusmodi est ingeniosa illa cellularum & locorum constructio, fabrefactioue imaginum, quæ artificiali memoriæ deseruiunt; quas non modo apud Tullium, Fabiumq;, sed & apud recentiores non paucos videre est.

IV.

Huc reuocantur arcanæ illæ & sacræ Ægyptiorum notæ (quanquam instrumentalibus signis merito annumerentur) quibus vniuersam pœne philosophiam, ne in vulgus emanaret velut palladium, aut sacrum ancile, procul à prophanis oculis remouebant: quibus geminæ sunt imagines, quas in variorum Cęsarum, regumue nummis, & Romę non in vno obelisco cernimus.

V.

Ab his non abludunt gentium & familiarum insignia saltem pleraq; quis enim nesciat quo signo sensuue Serenissimus Poloniæ rex aquilam albâ corona insignitam, hiante rostro & extensis alis pugnaturæ simillimam: aut Lithuaniæ magnus Ducatus militem armis obductum, stricto gladio, equo bellaci insidentem pro symbolo circumferat?

VI.

Diuina signa (quale fuit, quod Achazo ab Isaia oblatum, petitum ab Ezechia in horologij vmbra, Constantino M. in cælo ostensum) altioris sunt considerationis: certè Christus ipse crucem signum suum vocat, idque in cælo ante decretoriam illam diem fulsurum dicit.

VII.

Ad philosophum potiori iure spectare possunt artificiales notulæ, quæ modos harmonicos in Musica demonstrant: sicut & Arabicæ Literulæ, vel Cifræ (vt loquimur) quæ ad calculos, computumque Arithmeticum ingenti hominum compendio adhibentur.

VIII.

Signorum optima sunt, quæ non significant solum (vti hodie sunt plumarum vel Baltheorum militarium colores, aliaue symbola, è quibus hostis ab amico dignoscatur) sed id etiam, quod designant efficiunt: Ita cometes sapientum iudicio siccitatem, quam prænuntiat, efficit, & inuestitura Episcoporum, Abbatumue per pallium, annulumue, vel virgam pastoralem facta potestatem significat & confert; idem de SS. Sacramentis Theologia affirmat.

IX.

Porro hæc signa ad significandum tanto sunt aptiora, quanto propius ad ipsam naturam alluserint: quòd etiam laurus & palma victoriam, testudo segnitiem designent, non temerè

temerè factum est: sed earum rerum significationes quasi naturaliter in tali signo latitant, nec difficulter inde eruuntur.

X.

Vtilitate tamen, facilitate, ac rerum inclusarum multitudine signis omnibus scriptura præponderat, quid enim admirabilius, quam fugitiuas voces calamo & stylo velut iniectis compedibus retentas, papyro membranæue illigari? quid vtilius, quam altissime exaggeratam tot dictionum molem, vicenis, quaternis ternisue elementis metiri? Quid iucundius, quam vnius schediasmatis transmissione famam tot orbe propagare?

XI.

Tantum profectò est hoc scripturæ miraculum vt superiore memoria Indorum plurimi, Peruani præsertim, apices literasque viuere arbitrarentur: quod fraudum suarum indicia ab illis fieri, ac ad herum deferri deprehendissent.

XII.

Hinc problemata tria elicio 1. cuius vel Idiomatis vel dialecti literæ ad scribendum sint aptissimæ? 2. an naturę conformius scribant Iaponij, lineâ à summo ad imum ductâ; an Hebrei à dextra in sinistram regressi, an Latini (cum plerisq; aliis) à sinistra ad marginem dextrum continua serie profecti? 3. Inter Arcanas Julij Cæsaris Augusti, aliorumq; Principum & Notariorum Notas, quænam compendiosissimæ?

DE SIGNO VOCALI IN-complexo.

I.

VOx incomplexa (quam hic considero) ab Aristotele definitur: cuius nulla pars significat separatim, nec complexionem conceptuum ingerit quo loco, si Homericus οὐδεὶς

 petierit

petierit, an solenne illud Nemo huc pertineat: pernegabo; simul æquiuoca, & Analoga, & quicquid simplicem vocem syllabis mentitur, (vt nihil, nunquam) exturbo.

II.

Nominis & verbi discrimina præcipua sunt. Verbum in enunciatione positum prædicati sedem perpetuò occupat, Tempus quoque & subiectum, à quo actio emanat, non obscurè connotat: totam denique rem per modum actionis designat. At nomen promiscuè subijci & prædicari sustinet: neque necessariò connotatiuum est, remq; ipsam per modum qualitatis & velut in facto esse significat.

III.

Quæsitum est hactenus, & forte ęternum quæretur: Cur inter elementa nominis & verbi A principatum obtineat? Coniecturæ locus si sit, dicam literam illam attractioni aëris seu respirationi affinem esse, quę dubio procul primum hominis munus est, cum apud Poëtas trahere primulũ auras, idem sit quod nasci, ipsa etiam oris humani violentior diductio, vel non sentientibus nobis literam illam exprimit, vt mirum non sit infantulos à partu recentes, in hanc vocem A. A. A. primum prorumpere.

IV.

Vocum pleræq; ex instituto humano significant: Arida, Homo, mare, dies, nox, & si quæ sunt alia, significationem à Deo acceperunt; passim tamen vocabula degenerare, aliò transferri & aliquanto efficacius, quam prima impositione fecerint, significare, quis non videt?

V.

E vocum verò significatiuarum serie lingua oritur, quæ per simplicium inflexionem, aut compositionis deflexionem in varias dialectos abit: vt vix dubitem etiam ante turris Babylonicæ constructionem varias dialectos primigeniæ illius linguæ viguisse; non ita tamen notabiles, qualis in Italica & Latina apparet, sed qualem inter rusticanos & vrbanos eiusdem prouinciæ audimus.

VI.

Sitne autem lingua aliqua homini natiua longissimè ante Christi ortum Psammetichus Rex Ægypti, & superioribus seculis Tamberlani M. pronepos Scytharum Princeps explorarunt, cum infantes illuc loci enutrirent, vbi hominis vocem nullam combiberent; sed frustra, nec sapienter.

VII.

Vnus pænè est Adam cum Eua coniuge, quibus Deus (huic quidem in paradiso, illi verò in agro Damasceno) linguę notitiam momento indidit, quæ qualis fuerit, à multis controuertitur. Germani eam laudem ad se trahunt: idem & decus Sclaui ambiunt, è quorum idiomate cũ Vandalis permisto, Polonica & Bohemica linguæ (si Blondo credimus) enatæ sunt: Aborigines quoque, tum Arcades, tum Latini, tum Thessali pro se quondam strenuè decertarunt. mihi verò propius videtur, Hebræam omnium primam fuisse.

VIII.

Quoniam verò post Babylonicam confusionem septuaginta duę linguę capitales enatę sunt, dubitari vix potest idioma Theutonicum non infimum in illis locum reperisse ob singularem cum Hebræa affinitatem: idem de Chaldaica longè certius pronuncio, nec ambigo de Illyrica, quæ toto Septētrione, perq; omnem Sarmatiam, imò & Turciam celebratissima est. Nam Gallica, Hispanica, Britannica, longè post audiri cœpit.

IX.

Merito dubitari potest, hominésne sint an belluæ, de quibus Vincentius Hist. lib. 31. memorat gentem apud Tartaros esse capite canino humanæ sermocinationis prorsus expertem, affectus tamen latratu exprimere, & cæterâ corporis confor-

conformatione hominem referre. De Astomis, id est, Æthiopibus ore & lingua penitus destitutis, nulla est controuersia, cum non semel ad Augustissima Laureti & eremi Helueticæ & Oetingæ Bauaricæ, & Montis Serrati delubra, infantes sine ore sint deportati; plerumq; tamen lingua intus latente.

DE SIGNO VOCALI *complexo.*

I.

ORATIO ex simplicium coniunctione nata, est vox significatiua, cuius partium aliqua separata significat, quæ si affectus duntaxat exprimat, ad oratoriam & Grammaticam spectabit: philosophica autem erit, si sit iudicatiua extremorum, diciturque enunciatio.

II.

Neque enim Nominalibus subscribo, qui contra quam fecisse videri velint Entia multiplicant sine necessitate: siquidem enunciationem mentalem, & dialecticam sine magna ratione in apprehensiuam, & iudicatiuam secant, adeoq; multiplicant.

III.

Oratio autem soli homini conuenit: magnum profecto Dei donum; an autem linguarum (in quibus oratio fit) multitudo, ad humani generis ornatum pertineat, non ab re ambigitur. Satius omnino fuerat hominibus omnibus liberum esse mutuos sermones miscere: Itaque in paradiso futurum fuisse, doctissimus quisq; sentit.

IV.

Vidit nostra ætas circulatorem, qui cum equo suo perquàm familiariter colloquebatur, cum cane Corn. Agrippa, Æneas cum columbis, cum vrsa & boue Pythagoras, & si Bodino credimus in suburbio Cayri histrio quidam cum Asino suo palam sermocinari visus est; An igitur belluæ vt orationem humanam articulatè assequantur, intelligantq;, condocefieri poterunt? minimè gentium.

V.

Neque Porphyrio credi potest, aut Ennapio, aut ipsi Apollonio Tyanæo affirmanti se passeris pipilantis sermone edoctum fuisse, quod extra vrbem asellus frumento onustus ceciderit. Imposturæ item & mendacij iure arguuntur, qui se serpentum ceterorumque animalium orationem intelligere gloriantur.

VI.

Etenim in Peripatetica Philosophia ἄτοπον omnino, ac ἄπιςον est, quodlibet brutorum genus proprium idioma callere: cum enim ne homini quidem id concessum sit, quis ranis, coruis, capris, &c. propriam linguam tribuat? id vnum concedi illis debet, quod coaxatu, crocitatu, balatu, hinnitu, rugitu, mugitu, &c. naturaliter quasdam affectiones, easque numero non plurimas, nec libere, nec variabiliter pro nutu, significent.

VII.

Vnde conficitur, quantumuis Cornix in Capitolij culmine ἔςαι πάντα καλῶς; aues Africanæ in Lybia, μέγας ὁ θεὸς ψάφων; Coruus Romæ, Aue Octaui Cæsar Imperator, &c. cecinerint: quamuis etiam tota Europâ, Asiaq; passim psittaci, pici, corui, &c. oppidò loquaculi inueniantur, non tamen veram enunciationem efferre sunt censendi.

VIII.

Quod si sub Augusto in Arabia Hippocentaurus, temporibus Constantini Magni in Ægypto Satyrus, in insulis Capreis Sirenes, superiori etiam æuo in Patauia mas marinus fuit, qui fari articulatè, & cum alijs colloqui vel sciuerint, vel vtcunq; addidicerint, non ausim negare veros homines fuisse.

IX.

De fidei nostræ antesignanis Apostolis, Ephrem Syro, Josepho Anchietta presbytero Soc. Iesu, Hildegardi Antistite Spanheimensi, deq; Diuo martyre Vincentio Ferretio Ordin. Præd. alij q; aliud necessariò sentiendum: cum & linguas, quibus loquebantur, reuerà perspectas habuerint, & singularum vocum significationem tenuerint.

X.

Illa quoq; quæ in Menæis Græcorum de iumento, quod S. Stephani Protomartyris exuuias Constantinopolim deuehebat, & in scriptura sacra de asina Balaam memorantur, verissima sunt: nihil tamen ad hunc locum faciunt, cum locutio illa in Angelos bonos sit referenda.

XI.

Damnatis autem spiritibus attribui debet, quòd Colũbæ Dodoneæ & Argo nauis malus vaticinia ediderint: quòd fluuius Causus prætereuntem Pythagoram salute impertiuerit: quod Harpyia Troianis exulibus sit minitata: quod statuæ passim in Fanis sint locutæ, & infinita eiusdem farinæ apud Historicos, cum Iouis taurum in Rhodo, bouem aratorem in agro Romano, &c. locutum asserunt.

XII.

Quod si in rigore Logico philosophandum sit, nego homines à maligno spiritu insessos, quos Energumenos dicimus, dum peregrinas, ignotasq; sibi linguas sonant formaliter enunciare. minimè verò audiendus est Leuinus Lemnius lib. 2. de occul nat. cap. 2. Qui melancholicos & phreneticos ex frequentissima humorum ebullitione, & vehementi spirituum exagitatione, posse variis & ante hac incognitis linguis loqui auguratur.

XIII.

Non magis Guilielmi Lindani testimonio, quam experientia certum est tota Frisia & Morauia, Anabaptistas quosdam post haustum poculum aut sumptam buccellam, repente sacras literas nosse crepare & explicare, qui eas ante ne legere quidem poterant: non improbabiliter multi eos Fanaticos, Lymphatos ac Energumenos esse sentiunt: proinde nihil vetat, quo minus affirmem, eos quoque vix vnquam veram enunciationem proferre.

XIV.

Quid quod nec ipsorum hominum, quantumuis sanorum, ac sibi præsentium, quæcunq; sermocinatio enunciationis nomen mereatur? Qui enim sermo ex materia planè impossibili, aut terminis manifestè falsis, aut animi duntaxat gratia fictis, nihilq; significatiuis vocibus conficitur, non magis enunciatio videri debet; quam si Marullus patinarium suum Ilium in mensa, verum Ilium in Troade esse contendisset.

XV.

Verum quidem est Alexandrum M. à Timotheo ad variam ὀρθίᾳ νόμῳ commutationem, nunc ad stringenda arma, nunc ad quietem concitatum esse: neq; nescimus, quæ vis fidium apud Spartanos, celeusmatis inter classiarios, litui apud Romanos, hodieque tubarum in castris sit, nullum tamen instrumentum sonans orationis vicem ac rationem induere potest.

ENVNTIATIO.

I.

ENunciatio Nomine & Verbo constat, quorum essentialis discrepantia liquet ex definitionibus Aristotelicis, quod illud non significet cum tempore præsenti vt Verbum, neque semper eorum, quæ de alio prædicantur, sit nota. Dies enim & hora, vel potius hic dies & hæc hora licet tempus & quidem hoc præsens proprio significatu innuant, non tamen illud adsignificant ad actionem, vel quasi actionem aliquam, quod est significare cum tempore.

II.

Verborum aliud est substantiuum, quod existentiam siue actualem siue aptitudinalem: Aliud Adiectiuum, quod actionem vel passionem, vel proprietatem aliquam significat. Illud in propositionibus secundi adiacentis, vt vocant prædicati munus sustinet. In propositionibus de tertio adiacente, vel est copula tantum prædicati cum subiecto, vel copula simul & prædicatum.

III.

Eandem verborum partitionem in substantiuum & adiectiuum admittunt verba infinita, quæ fiunt ex finitis præposita particula negante. Nam si negationem præfixeris, etiam adiectiuis quædam infinitas accesserit, cum hac ratione significent tam ea, quæ sunt, quam quæ non sunt. Aliter res habet in substantiuo, si in tota sua latitudine sumatur, vti & in Ente, quatenus Ens nomen est, quia præposita negatione de veris Entibus affirmari nequit.

DISCVRSVS.

I.

NVnc quoniam tertia mentis operatio nobis manum non obscurè inijcit sequimur; Discursus igitur, cum amplissimè extenditur, nihil aliud indigitat, quam intellectus humani ab vnius rei cognitione ad aliam gradum facientis, ac quasi transeuntis progresionem, quæ quidem nomenclatio ab animantium motu, quem Physici progresiuum nuncupant, haud dubie hausta est: vti enim animal è loco vno procurrens alium occupat, ita hîc mens hominis ex vna notitia in aliam se transfert.

II.

Discursuum verò alius dicitur secundum successionẽ, quo vnũ post aliud cognoscimus independenter; & hic non tã tertia mentis operatio, quã plures secundæ, censendus est. Alius verò secundum causalitatem, qui dependentiam propositionum inter se postulat. Aliter partiri licet discursum in consequentiam simplicem, cuiusmodi sunt conuersiones, & æquipollentiæ, ac in argumentationem.

III.

Omnium magni nominis sophorum destinatis sententiis inter cætera argumentationum genera Syllogismus ita manifestè eximius est, vt de primatu ne lis quidem vlla ipsi moueri debeat. Estque oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddam ab iis, quæ posita sunt ex necessitate accidit, eò quod hæc sunt. Quæ definitio, vti speciem discursus seu tertiam mentis operationem innuit, ita præter præmissas conclusionem quoque seu consequens in suo conceptu essentiali includit.

DEMONSTRATIO.

I.

QVONIAM Syllogismus à Dialecticis non minus quam à Sophistis in varia capita deducitur, vna est vt cognitu dignissima, ita ratiocinationum omnium facile princeps demonstratio, quæ aliud non est, quam Syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, aut iis quæ per prima suæ cognitionis principium hauserunt. Eius prima principia non discursu propriè dicto, sed cognitione quadam experimentali intellectui innotescunt.

II.

Præcognita, quæ demonstrationi presupponuntur sunt Datum, Quæsitum, & Principium complexum: de quorum primo præuiæ sunt præcognitiones, an sit & quid nominis. De quæsito, quid nominis, & aliquando quod sit. De principio denique an sit.

III.

Propositiones veræ, necessariæ & æternæ veritatis obtinent locum materiæ, è qua omnis demonstratio proximè conficitur: quæ si insuper primæ & immediatæ fuerint, Argumentationem longè omnium perfectissimam parient. Neq; tamen hoc loco causæ reales essendi necessariò adhibendæ sunt, cum non raro sufficiant illæ, quas cognoscendi seu virtuales essendi vocant nonnulli, vt liquet in demonstrationibus, quibus attributa diuina, vnum per alterum, verè & scientificè Theologia demonstrat.

IV.

De materia demonstrationis remota, de prædicatis inquam, quid statuendum sit, facile coniectabit, qui perspectum habuerit, qui termini, quæue propositiones ad tam eximij operis architectationem requirantur, videlicet prædicata de omni posterioristico, per se, & secundum quod ipsum.

V.

Quandoquidem philosophari propriè loquendo nihil aliud est, quam ex effectis causas indagare; & viceuersa, è causarum peruestigatione effectuum notitiam solerter aucupari, fit vt Syllogismorum recursus, quem circulum in demonstratione Peripatetici vocant, à recte philosophantibus non solum toleretur; verum etiam ad aliarum rerum scientiam adipiscendam apprimè vtiliter accersatur: quod de materiali duntaxat pronunciatum velim; si quidem formalis nigra litera signandus est & explodendus.

SCIENTIA.

I.

PARTVS nobilissimus demonstrationis est scientia, cognitio discursiua certa & euidens, quæ prædicata quatuor ipsi essentialia sunt. Veritas autem non aliter, quam passio quædam ab intrinseca scientiæ natura promanans ipsi competit.

II.

Ne cui autem cum logicarum discertationum spinis luctanti confusio tenebras offundat, non segniter annotandum est discrimen, quod inter obiectum formale scientiæ Quod, & sub Quo intercedit. Illud est quæuis demonstrabilis conclusio: hoc verò sunt ipsa principia demonstrationis: subiectum dicitur illud, de quo passio aliqua scientificè demonstratur, potestq; componi tam partiale quam adæquatum ex naturis diuersis, tam eiusdem, quam diuersorum generum.

III.

In habituum scientificorum classem non sola sapientia aut contemplatrices scientiæ digeruntur. Prudentia quoq; & artes omnes, quatenus sunt virtutes intellectuales, & per veram demonstrationem actusq; scientificos comparantur, in scientiarum tabulas describendæ sunt. Aliter res habet in Mechanicis & liberalibus nonnullis, humana fide potius, & industria quadam artificum acquisitis.

IV.

Ad vnitatem & distinctionem scientiarum quod pertinet, aggregatio multorum habituum ad obiectum commune spectantium vnam vnitate saltem ordinis, totalem scientiam conflat. Distinctio verò scientiarum, non ex diuersitate abstractionum; sed à principijs formalibus in esse entis consideratis, inuestiganda est.

V.

Habitus habitum, ars artem, non magis quam scientia scientiam antestat: cui rei nemo contentiosius se obijcit, siue scientiæ vnius fulgorem, ad solem alterius componat; siue alterā sub alterius quasi ambitu quodā cōtineri, ac describi animaduertat. Certè hinc celebris illa scientiarū partitio in subalternantes & subalternatas exacta est. Ad verā aūt legitimāq; sub-

subalternationem omnino opus est, vt subalternantis commune subiectum contrahatur à subiecto subalternatę, per differentiam quandam accidentalem.

VI.

Opinio est iudicium seu assensus cum formidine. Hæc discursiuam, & non discursiuam, habitus videlicet inter se essentialiter discrepantes complectitur: sub neutra comprehendi volumus fidem ex hominum testificatione profectam.

VII.

An opinio simul & scientia de eodem obiecto nobis inesse possit, vetus est in Lyceo controuersia, tanquam pertinacibus studiis agitata, vt naturalis mundanæque philosophiæ cancellos pæne egressa, etiam primi nominis Theologos in partes traxerit: mihi affirmantium sententia arridet, siue actum siue habitum in quæstionem voces: neq; vlla sane terminorum repugnantia hactenus ab antagonistis exhiberi potuit, cum vt mediorum, & obiectorum formalium diuersitas illud, quidquid est contradictionis, facile aboleat.

PENE-

PENETRALE MEDIUM.

PRINCIPIA CORPORIS NATURALIS.

I.

PHYSICA scientiarum pulcherrima in corporis naturalis contemplatione altissimè suspensa hæret, nullamq; praxin per se, tanquam intrinsecum finem intendit: ordine doctrinę medium obtinet, inter disciplinas Mathematicas & supremam philosophiam, cui vni scientiarum regnum cedit, reliquas omnes dignitate præeminet.

II.

Constituendo corpori naturali tribus principijs opus est, materia, forma & priuatione: quæ ita prima dicuntur vt neque ex se mutuis, neq; ex alijs, ex ipsis autem sint omnia.

III.

Materia prima est primum vniuscuiusq; subiectum, ex quo fit aliquid non secundum accidens, & si corrumpatur, in hoc vltimum proficiscetur: Hæc in sua entitate incompletâ dicitur essentialiter pura potentia omnium rerum, saltem sublunarium vna specie, distincta numero, ita tamen vt in se spectata non penitus respuat vnitatem numericam. Appetitu innato formas tam pertinaciter appetit, vt si iis vniuersim fraudari contigerit, ne existeret quidem; nisi eam in nihilum abituram, diuina manus cohibeat.

I Forma

IV.

Forma nobilissima principiorum, est actus simplex substantialis, vnum per se cum materia componens, qui (si animam rationalem demas) ex informi illa materiæ massa, pulcherrimo naturæ artificio prolicitur. Est vero hæc eductio nil aliud quam naturalis formæ consecutio vi dispositionum materialium ab agente naturali in ipsam materiam, commune transmutationis subiectum, inductarum.

V.

Bina illa principia, quæ in corporis naturalis substantiam se insinuant, quamdiu sigillatim spectata physicorum ingenia exercent, re distinguuntur à toto composito quod constituunt, tanquam inclusum ab includente, & vicissim compositum à suis partibus, vt includens ab incluso: at cum primum ea vniri contigerit cum toto composito re ipsa coalescunt, ac sola ratione discerni patiuntur.

CAVSÆ.

I.

QVaternarius causarum numerus, à priscis Academicis aptissimè collectus fuit ex quadruplici illa ratione, qua ad compositum naturale constituendum, quasi collatis symbolis concurrunt. Mirum vero est causas extrinsecas finem & efficientem, intrinsecis dignitatem præripuisse, siue singularum entitatem, siue causandi vigorem ad rationis trutinam exploraueris.

II.

Causalitas dicitur id, quo quæq; causa in suo genere causat, estq; respectu causæ materialis vnio eiusdem cum forma, & formæ vicissim vnio eiusdem cum materia. Efficientis actio, finalis motio Metaphorica.

III.

Vt autem materia suas, quæ huius loci sunt, partes obeat, non duntaxat eam alicubi verè existere necessum est: sed & quantitatis illi inhærentis extensio & sigillatio, seu dispositionum receptio præter propinquissimum cū efficiente nexum requiritur; vt parum consentaneè mihi philosophari videantur Thomistæ quidam, qui in rerum naturalium generatione materiam ab omni accidente nudatam exigunt, adeoq; resolutionem in materiam primam propugnant.

IV.

Causa formalis nimimè causabit actu manendo intra limites naturæ, nisi actu existens, & intimè coniuncta subiecto seu materiæ iam instructæ proprijs eiusdem formæ dispositionibus: licet non implicet eam diuinitus recipi & sustentari in materia vel non disposita, vel instructa dispositionibus formæ repugnantis, quià posterius de Nabuchodonosore Babyloniorum rege sacrorum voluminum explanatores non pauci æquissimis animis accipiunt; animam scilicet in eo cum bonis dispositionibus diuino nutu conseruatam fuisse.

V.

Non solus autor naturæ DEVS, sed & res creatæ verè subeunt rationem causæ efficientis, effectusq; qui viribus respondeant, nec abhorreant à natura, eliciunt: & quidem substantia substantiam non secundum se totam, sed ex præiacente materia generat: Accidens quoque vt instrumentum attingit ipsam substantiæ productionem, idq; immediate & per se influendo, posita tamen debita coniunctione cum causa principali, à qua semota virtus accidentalis suppleri debet per concursum superioris causæ. Accidens tamen ab accidente, vti à causa principali produci nil vetat.

VI.

Respuit natura pluralitatem formarū substantialiū in vno substantiali cōposito. Quare vti non rectè iuxta numerū prædicatorū essentialiū formas multiplicāt nonnulli, ita nec forma corporeitatis, nec mixtionis, nec aliæ, quæcūq; demū inter se habitudine & subordinatione in eadē numero materia sint, admittendæ.

 Neq;

VII.

Neque tamen vllius agentis Physici tanta vis, & potestas est; vt amplissimè euagata, nullis quasi septis coërceatur: præterquam enim quod non nisi in passum à se realiter diuersum quicquam machinetur, certis etiam limitibus circumscribitur, vt non illico quam voluerit formam inducat. An verò etiam necessarium omnino sit, vt passo coniungatur, seorsim disceptabo.

VIII.

Concursus ille diuinus in quo consistat, acerrima ingeniorum contentione indagant philosophi: sunt qui eum in impressione, seu potius in re aliqua causis secundis impressa constitui velint; sed nos explosis alijs hunc concursum in ipsa operatione causæ secundæ, prout à prima prouenit, consistere decernimus.

IX.

DEVS est agens seu efficiens cum quauis causa secunda, idq; immediatione suppositi propter immensitatem; & virtutis: cum manifestum sit DEVM operari non accepta virtute ab eo, cum quo operatur; sed de glorioso DEO pluribus agendi vberior se campus inferius aperiet.

X.

Causæ creatæ principales, ne velut incisis neruis, mancæ ac mutilæ ad nihil conducant, indigent instrumentis, quæ in eodem genere causę efficientis ad effectus producendos concurrant: vt proinde ratio instrumenti consistat in eo, quod sit id, quo principalis vtitur ad agendum: vel, si maximè rationem instrumenti inuestigare lubet; sit id, quod eleuatur à causa principali; ad producendum effectum se nobiliorem.

XI.

Ideam Fonseca in formalem causam adscripsit; nos optimis vindicijs eam iniecta manu asserimus, & ad efficientem cum D. Thoma reducimus. Definitur esse forma, quam effectus imitatur ex intetione agentis, qui determinat sibi finem. Est vero hęc forma in intellectu artificis; nō obiectiuè sed subiectiuè, ac proinde consistit in conceptu formali se : verbo mentis, prout repræsentat rem operabilem.

XII.

Impiè Diagoræ Melij schola sensit naturam à Deo destitutam temere hoc illud ue admoliri, non enim cæcè quo tulerit impetus, defertur; sed vel ad Autoris imperium prouolat; vel (quod in animantibus videre est) in certum aliquem finem collimat, quocirca finis è causarum numero minimè est exturbandus, sed primum potius locum inuadit. Est autem id cuius gratia cætera fiunt: hæc enim ratio ad omnia causæ finalis effecta diffunditur, eorumq; dependentiam ab ipso fine declarat.

XIII.

Causat finis secundum esse reale, apprehensum tamen, habetq; effectus electionem mediorum, & actus omnes, qui tum versantur circa finem, quatenus eius executionem antecedunt, tum eos qui versantur circa finem iam possessum, omnesq; actus etiam extra voluntatem, & effectus eorundem; dummodo procedant ex imperio voluntatis.

XIV.

De Agentibus naturalibus non modica olim inter philosophos viguit cōtentio, nunc extra disceptationis aleam est, illa quoque in fines certos contorqueri, non suo quidem nutu, arbitrioue (quo penitus sunt spoliata) sed quoniam primæ causæ imperijs tota subsunt, & ab illius motoris influxu pendent, qui æternæ suæ sapientiæ decreto in destinatos fines, quidquid vsquā est, reducit.

XV.

Bruta altius aliquando euehuntur: neque enim eatenus duntaxat, quod à primo agente impellantur; sed à seipsis etiam, ob finem aliquem operantur, licet non formaliter; id enim conuenit solis Entibus intellectu & voluntate præditis.

NATVRA.

Nomen Naturale sortitur corpus Physicum à naturis,

 quibus

quibus constat materia, scilic. & forma. Est natura pincipium & causa, vt id moueatur atque quiescat, in quo primò per se, & non per accidens inest.

II.

Principium motus partim passiuum, partim actiuum est. prius philosophorum omnium calculo materię rerum naturalium attribuitur, Actiuum verò non omnibus formis corporum nobilium competit. Quis enim inanimatis siue simplicibus, siue mixtis eiusmodi motiones attribuat, cum à seipso loco moueri, teste philosopho, principijs vitalibus ascribendum sit?

ARS.

I.

ARist. 6. Ethic. c. 4. Artem sic definit: Est habitus cum vera ratione effectiuus eorum, quæ aliter atque aliter fieri possunt. Quæstio hic inter philosophos nobilis est, in quo ratio eius essentialis consistat. Aristoteles quidem non raro docet, Artem nihil esse aliud quam ideam operis artificiosi in mente artificis: mihi tamen vero similius videtur, eam formaliter consistere in habilitate & promptitudine intellectus, quæ ex frequenti actuum repetitione oriatur.

II.

Qui Pyrrhi gemmam, montes Gothorum, mineralia Voitlandiæ, & id genus sexcenta audierit, dubitare non poterit; quin idem specie opus à natura, arte & casu produci valeat. Natura quoque naturam, imo artem non semel mentitur: talis fuit mitratus ille piscis, Episcopi sacrum Paludamentum indutus, superiore seculo in Polonia visus.

III.

Verum an etiam artificiosa quædam machinamenta, quæ multa & consideratione, & partium iunctura struuntur, à natura

natura effici possint, pronuntiare non audeo: quis enim machinas architectationis plenissimas, horologia rotis ponderibusque instructa, automata Vulcani, aut Phidiæ simulacrum à natura efformatum vnquam audiuit? Scio in Ægypto animal esse, quod stata lege singulis horis vesicam leuans, horologij vsum mortalibus tradidit: sed nihil contra nos euincit.

IV.

Equos, saltatores, histriones, vrsos, simios in scena, canes ad quæuis artem dociles, non vna vel ætas vel regio vidit. Elephanti in extentis funibus decurrerunt, gladiatoriam fecerunt, cum Balearibus in scopum lapides torserunt, literas quoque accuratissimè pinxerunt, si Plinio credimus: hæc tamen tanti non sunt, vt brutis artem inesse sentiam. Multo minus illa, quæ de vulpe cancros, castore pisces, hyena feras, crocodylo aues consectante circumferuntur.

V.

De arte Chymica nobilis inter doctores pugna; artis enim beneficio aurum verum produci posse, Tostatus, Abulensis, Ægidius, ac D. Thomas penitus inficiantur: alij plerique cum Antonio Mirandulano in alia omnia discedunt. Si enim apud Theophrastum ex solio triticum; è quibusdam fructibus in mare apud Orcades delapsis, anseres & anates, apud Saxonem Grammaticum Anguis è mulierum capillis: è plumbo stannum, Argentum è stanno & prope vrbem Smolensco, è ferro aquis quibusdam immisso, æs educitur: non video, cur repugnet ex alijs metallis aurum verum educi.

VI.

Imo nisi Fernelio fidem tollimus, negare non possumus, eam quorundam fœlicitatem fuisse, vt verum aurum produxerint. Subscribunt Rhodiginus & Cardanus, alijq́; certè Arnoldus Villanouanus virgulas aureas è Chymica fornace abs

abs se eductas, vel ipsi Pontifici, eiusq; Palatinis explorandas tradere non dubitauit.

VII.

Duo tamen sunt quæ in Chymicis non nemo desiderat: 1. quòd meliores Mechanici sunt quā Philosophi: dum lapides viuere, vegetari ac nutriri temerè pronuntiant, nec aliam auro efficientem causam, quam calorem tribuunt; quasi verò frigus ac siccitas se excludi patiantur. 2. Quod se ipsos nō minus quam alios ad incitas plerumque redigant, nec alia ferè certior principibus perdendis via: vt taceam Alchymistarum principes, Paracelsum, Agrippam, Wilelmum, Constantinum, &c. magiæ conuictos, plures alios non ab re suspectos fuisse.

DVRATIONES RERVM.

I.

Rerum durationes à distinctis essendi rationibus petendæ sunt. Hinc æternitas (quæ est interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio) ipsum esse Dei independens & inuariabile respicit: Æuum intelligentiis habentibus esse creatum & dependens, sed inuariabile tribuitur: Tempore denique (quod est numerus motus secundum prius & posterius) ea quæ ab intrinseco sunt corruptioni obnoxia, dimetimur.

II.

Quemadmodum res omnes non eodem durationis spatio circumscriptæ, aliter & aliter nunc oriuntur, nunc intereunt; ita huius suæ durationis inceptionem & desitionem, vel intrinsecam, vel extrinsecam, non eandem à natura nanciscuntur. Motus enim & Entia successiua, imo & permanentia quæcumque cum motu incipiunt & desinunt, extrinsecos admittunt tam inceptionis, quam desitionis terminos. Idem esto iudicium de desitione formæ substantialis, desinentis per naturalem expulsionem formæ contrariæ, ea verò quæ sine vel grauioris obstaculi remora, vel resistentia suum esse accipiunt, omniaque illa, quæ non nisi temporis punctulo durant, incipiunt & desinunt intrinsecè.

MOTVS.

I.

Duplex in animalibus localis est motus. Prior vitalis: est pulmonum & cordis, se tum dilatantis tum comprimentis, qui ferè pulsu arteriarum proditur, is si nimius sit, non minus animanti excidium, quam si nullus omnino sit, afferet. Agellius quidem Philippidem comœdiographum, Diagoram Rhodium Cicero, & Valerius Maximus Iuventium Thalnam Cos. gaudio mortuos. Lycam verò metu exanimatum alij prodiderunt.

II.

Ad hunc motum nullis alijs instrumentis opus est: quocirca tametsi vel subito horrore, vel Dialysi, vel epiphoræ defluxionibus, vel obstructionibus spirituum, vel subita animi à sensibus auocatione (quam Clazomænius quidam apud Origenem & Aristæas Proconnesius apud Plinium ex Herodoto, patiebantur) vel etiam præstigiis diabolicis (vt nuper Hispania infamosa illa Magdalena de Cruzvidit) corpus vniuersum obrigescat, ac penè præmoriatur; hic tamen vitalis motus defectu organorum non intercidit, quidquid Cabalistæ contra oganniant.

III.

Ecstaticos quosdam fuisse non inficior, vix tamen credi potest Deum animas è corpore eduxisse, probabilius est aliquem vitalem motum palpitationemue animæ, & vitæ indicem relictum fuisse: id quod de B. P. Ignatio totam hebdomadem à sensibus alienato Ribadeneira prodit. quæ de Ioannis

nis Dunſcoti raptu à nonnullis produntur, apud multos fidem non inueniunt, contingere tamen poteſt, & hunc motum adeo tenuem ac penè nullum eſſe, vt non ſentiatur, aut ægrè.

IV.

Alter motus eſt arbitrarius, qui ex animantium voluntate pendet, vt cum libuerit, ſerpens repere, vitulus ſubſilire, procurrere equus, aquila ſubuolare poſſit, huic plura omnino organa ſunt neceſſaria; quæ natura cuilibet animantium ita affixit, vt nullum temere addidiſſe videatur, nec refert, quod ſtruthio alas habeat, volare tamen non poſſit; cum hæ alæ non ad volatum, ſed celeritatem procurſionis ſint à natura inditę.

V.

Non imperitè quidam potentiam motiuam in medulla ſpinæ dorſi collocant, malim tamen, cum Galeno principium motus vltranij cerebrum conſtituere, inde enim nerui & ſpiritus animales, certiſſimi effectores huius motus procedunt.

VI.

Ariſt. quidem hunc motum non minus quam priorem illum vitalem principaliter à corde proficiſci ſcripſit, ſed non muto ſententiam, cum nullus neruus è corde non modo non oriatur, ſed illud ne attingat quidem, ſi vnicum exceperis, qui ex ſepto pari neruorum cerebri deriuatur.

VII.

Præcipuum mouendi inſtrumentum ſunt muſculi. Eſt autem muſculus pars corporis carnoſior è neruis, venis, arterijs & ligamentis carne permiſtis compacta; organa etiam phantaſiæ & potentiæ appetitiuæ (quæ vi motrici arctiſſimè colligatur) concurrant neceſſe eſt.

QVI-

QVIBVS CONVENIAT *Motus.*

I.

VRticæ & ſpongiæ, vt animalia non ſunt, ita nec mouentur, quod ſi qua illis nonnunquam compreſſio vel dilatatio ab hiſtoriæ naturalis conditoribus tribuatur, μεταφορικῶς accipiatur: neque quæuis compreſſio animal conſtituit. Vera autem Zoophyta (Conchæ, ſtelliones, Pinna, cruſtata quędam, & ſimilia teſtis incluſa) inter imperfecta animalia accenſentur.

II.

Græcorum hiſtoriæ arbores quaſdam publica itinera transgreſſas memorant. ſed hæc anilia Græculus eſuriens venditet, credat Judæus Apella, non ego. Arbor pudica ad cuiuſuis animalis acceſſum ramos nonnihil contrahit: Plantarum frondes ſolſtitio inuertuntur, flante vento diducuntur, claudunturuè: Non nego; nec ideo tamen plantis vita ſenſitiua, vel motus attribuendus.

III.

Motus proiectorum non fit per continuam propulſionem aëris (qua enim ratione trochus in gyrum rotaretur? & quî fiet vt baliſtæ ſaxum, catapultæ telum, tormenti globus à leuiſsimo elemento tanta vi, tamque deſtinato ictu ad ſcopum torqueatur) ſed eius cauſa principalis eſt proiiciens, qualitas ab illo impreſſa in mobile inſtrumenti vicem ſubit; medium quoque vel aër motus nonnihil confert.

IV.

Vulcani verò lebetes, Dædali ſtatuæ, Iarchæ tripodes, Archimedis columba, Muſca Regiomontani, Alberti M. ſimulacrum, Norimbergenſium Aquila, &, vt verbo dicam,

 αὐτόμα-

αὐτόματα omnia, tametsi sponte moueri ac discursare, volitareq; videantur, quod tamen ab intrinseco non concitantur, motu vitali minimè mouentur.

ACTIO IN DISTANS.

I.

Hanc tum fieri definimus, cum Agens nec immediatione suppositi; nec per virtutem transmissam est passo præsens; sed operatur in extremo, non operando in medio, excludendus igitur est tactus Physicus, Mathematicus, & Metaphysicus.

II.

Nulla substantia vel Agens creatum sufficit, vt actionem in distans efficiat, vbi enim nullum esse supponitur, nullum ibi agere ne concipi quidem potest. Est verò etiam omne Agens quasi quidam actus passi; ac velut forma, vt nihilo sit agere facilius in passum absens, quam materiam procul dissitam informare & actuare.

III.

Cur ergo apud Agellium morbus Ischiacus, & apud Apulos Calabrosque tarantalæ morsus tibiæ cantu persanatur? aut quomodo Dauidicæ fides intemperiem Saulis temperarunt? Respondet doctè Vallesius, sono musico concitari ad hilaritatem spiritus vitales, qui atræ bilis efferuescentiam, torporemque Melancholiæ discutiant; vt difficile non sit naturæ ad instaurandas vires assurgere. Adde sonum etiam inter subiectiuas in materia qualitates, non obiectiuas solum numerari; non minori sanè iure quam calor, sapor, odor, & cæt. proinde à doctissimis viris occultæ quædem vires huic materiali qualitati conceduntur.

IV.

Fabulam non historiam condunt, qui lyncem, aut animalia illa tam oculata faciunt, vt per crassissimos muros trabesq; videant; cum enim species per opacissimum ac densatum medium transire non possint, superesset, vt in obiectum distans sine medio ageret, quod repugnat.

V.

Nugatorium est quod Chirurgi de naso factitio garriunt, eum scilicet qui ex alterius animantis carne excisus fuerit, moriturum, inq; tabum & saniem soluendum, cum primum animal, ex quo nasus ille exectus fuerat, interierit. Neque admittenda facile Pharmaceutriarum experientia, hominem à quibusdam venenis non prius curari posse, quam animalia, à quibus toxicum illud decisum sit, occidantur.

VI.

Qui Marbodeum in Dadyloth, Plinium, Georg. Villichium, Thargum Chal. cant 4. audierit, non dubitabit necessario actionem in distans dari posse etiam in spiritus. Nam Gagate, Corallio, Chrysolito, suffitibus, Thapsia, rahmno, Pæonia nigra, Verbasco, ruta agresti, &c pelle capitis lupini, aut rostro dæmones fugari, aut, ne ingrediantur, longè arceri scribunt: at hæc omnia negationis spongiâ abolentur; nisi eatenus quippiam horum toleretur, quod in corpore dispositiones quasdam inducat, ne tam facile à dæmonibus alterari possit, aut effectus quosdam naturales à Satana in corporibus productos tollat.

VII.

Torpedo manum bacillo se contingentis stupefacit, echeneis nauem inter decumanos fluctus sistit. Theamedos metallum à se abigit, Aquilo acum magneticam trahit, Sol heliotropium, ceruus serpentem è cauernis elicit, Tympanum ex ouilla pelle rumpitur ad lupinæ pulsum, id tamen non faciunt sine qualitatibus, quas arcano meatu per medium ad passum deuehant.

VIII.

Theologis relinquimus accuratius disceptandum, an diuinâ saltem virtute actio in distans dari possit: non dubito fieri posse, si de causa instrumentali sit sermo, cum euidens sit humanitatem ac verba Christi res admirandas etiam ibi, vbi non erat, efficere potuisse: eò, quod agens principale (DEVS) à passo esset in distans. difficultas est, an si DEVS per impossibile alicubi non esset, ibi tamen posset agere? mihi pars negatiua arridet, ne Scholasticos illos irritem, qui ex operatione omni præsentiam Dei colligunt, neue DEVS per virtutem à se diffusam concipiatur agere, vt ignis per calorem.

RERVM ORTVS ET INTERITVS.

I.

GENERATIO est mutatio actioq; vera instantanea, cui terminus alterationis prorsus extrinsecus est. Consistit formaliter in vnione formæ cum materia: terminat eam formaprimò & minus principaliter vt quo; vltimatè vero & vt quod compositum.

II.

Cuiuslibet rei generationem prodromi instar corruptio anteuertit; vnde illud in Lyceo tritissimum effatum fluxit: Generatio vnius est corruptio alterius. Est autem corruptio quasi species mutationis connaturalis physicæ, abiectiua termini; porro cum eam naturalem appellamus, id non eo pertinet, quasi natura ad corruptionem arcano aliquo impulsu desideriose, quasi pondere suo sponte deuoluatur; sed vt eam contra tam artificialem, quam supernaturalem distinguamus; tum etiam quod rerum ortus ita à natura comparatus est, vt sine hoc præambulo, nusquam gentium penetrare possit.

ALTE-

ALTERATIO.

I.

GENERATIONI & corruptioni alterationes necessariò proludunt, adeò vt nisi aditum muniuerint, illarum vtraq; excludatur: siquidem alterationum interuentu generans productiones formarum substantialium attingit, easq; productas in suo esse conseruat. Ratio autem physicæ alterationis tota est in eo, quod sit mutatio seu motus ad qualitatem sensilem.

II.

Terminus alterationis latitudinem admittit, non extensiuam modò, sed & intensiuam, ac proinde intensionis & remissionis ex æquo capax est: quæ intensio fit non per maiorem in subiecto radicationem, sed per nouæ entitatis seu nouorum graduum additionem qualitatis.

AVGMENTATIO ET Nutritio.

I.

AVGMENTATIO ad viuentium species in debitam molem attollendas propagandasq; necessaria, actio est continua & successiua, quoniam quantitas eidem siue maior siue minor siue æqualis illi, quę violentia innati caloris aut aliorum agentium iniurijs absumpta fuerat, acquiritur: fit ea secundum omnes partes, vt & nutritio, non tamen formales sed materiales, idque non per rarefactionem sed per intus susceptionem.

II.

Qualitates eæ, quæ contrariæ nuncupãtur, solius Dei voluntati ita promptè obtemperãt, vt si vel ad summos gradus assurrexerint, eius tamẽ imperijs adactę se in eodẽ loco ac subiecto nõ iniquissime ferant. Cæteroqui tã implacabiles inimicitias in se

in ſe mutuò exercent, vt cum primum in excellentiorem gradum euaſerint, inuicem ſe de ſtationibus ſuis pertinaciſsime deturbent, neque vlla naturæ virtus supereſt, quæ illis frenos inijcere ac in vnius eiuſdemq; ſubiecti anguſtias velut in ergaſtulum poſſit detrudere.

III.

Accretio proprie dicta præexigit nutritionem, cuius efficiens primarium eſt anima vegetans, instrumenta ſunt calor natiuus & humidum, ſiue id ab ortu ipſo congenitum, ſiue ex alimenti ſucco expreſsum, ſiue aliunde affuſum fuerit. Proinde non imperitè ab Ariſt. interpretibus nutritio definitur formaliter eſſe conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti virtute potentiæ nutrientis, & animæ.

IV.

Potentia nutritiua in viuente ſuas functiones ſemper obeat neceſſe eſt; cum primum enim funditus ſublata interciderit, eadem ruinâ ipſam etiam vitam in exitium trahet. Ea propter ſemper eſt in actu primo, reſpectu ſaltem aliquorum effectuum, tametſi eruditæ medicorum ſcholæ non ab re aſſerant primariam è tribus concoctionibus ita neceſſariam eſſe, vt, ſi longioris temporis decurſu intercepta conquieſcat, interitus viuentis è veſtigio conſequatur.

V.

Alimentum obiectum nutritiuæ ita affectum eſſe debet, vt ſaltem potentia, eaque non remota, ſit id quod nutritur, quantumuis reipſa, ſiue actu longè quid diuerſum eſſe deprehendatur; cum alimenti qualitas, figura, affectioneſque plurimæ id luculentiſsimè exhibeant. An autem elementum ſuæ natiuæ puritati relictum, ſufficiat ad alimoniam alicui animantium ſuppeditandam olim controuertebatur; hodie penè omnes tum Medici, tum Phyſici partem negantem propugnant, cum quibus & nos faciemus, quando de elementis ſermo fuerit.

MI-

MISTIO.

I.

Miſtio ſiue ex alijs mixtis, ſiue ex 4. corporibus ſimplicibus fiat, maximè naturalis eſt; neque enim violentum haberi debet, quod auctoris naturæ certa lege & voluntate, ad rerum naturalium conſeruationem inſeruit; tametſi de ſuo ſtatu deijci, ac quaſi alio transmigrare videatur. Miſtionem autem rectè definit philoſophus, quod ſit miſtilium alteratorum vnio. Ita tamen hæc actio perficitur, vt elementorum formæ non formaliter, ſed virtute tantum in mixtis perſeuerent.

II.

Sua cuiq; mixto naturæ propriæ congrua temperies ineſt, quæ minimè in relatione, aut qualitate aliqua ſimplici; ſed in primarum qualitatum aggregatarum accommodata proportione, ad cuiuſq; mixti naturam & operationes formaliter conſiſtit.

TEMPERAMENTVM.

I.

TEMPERAMENTVM dicitur aliud ad pondus, quod vniforme nuncupant, id eſt, in quo quaſi æquis ponderibus delibratæ qualitates ſeu æqua graduum proportione communicatæ ſunt, & ſtant in æquilibrio. Aliud dicitur ad Iuſtitiam, ſeu difforme, in quo qualitates ſe habent vt excedens & exceſſum.

II.

Prior illa temperatura exactior eſt, quam vt à ſolertiſſimo naturæ ingenio in vllum corpus mixtum includatur aut includi poſſit. Nihil tamen obſtat, quo minus pars aliqua viuentis habeat qualitates quatuor ad æquilibrium compoſitas.

Quo I

III.

Quod si ex nobilitate formæ substantialis, dignitatem quoq; temperamenti velut è gemma annuli præstantiam æstimare velis, ea dubio procul humani corporis symmetria, ac temperamentum erit, vt cæteris antestet vniuersis. Inter 4 difformia complexa, sanguineum excellit in humido & calido consistens.

IV.

Explorandis hominum ingenijs lydio lapide nihil opus est, quis enim tergiuersetur & palmam transcribere, qui subita terminorum apprehensione, celerrimis motibus ad inueniendum, ad iudicandum maturitate, ad discurrendum subtilitate, alios longè post se relinquat? proinde temperamentum ex bilis & Melancholiæ permixtione functionibus ingeniorum accommodatissimum statuimus.

QVÆ PARTES CORPORIS *Viuant*.

I.

PARTES corporis quas informant animę, sunt solę cōsistentes, eæq; primariò integrãtes, cuiusmodi sunt caro, neruus, ossa, dentes. Partes verò fluentes non sunt animatæ, vti quatuor humores tam primarij quàm secundarij & excrementitij. His accedunt adeps, seuum, lac, semen, spiritus, medulla, si spinalem excipias: deniq; capilli, vngues & cutis externa.

SPIRATIO.

I.

DVPLEX in animalibus spirandi vis est, altera tractiua, quę inspiratio dicitur, ac aerem ad pulmones intus reuocat. Expulsiua altera, quæ aerem exsufflat & à se reijcit dicitur que exspiratio.

II.

Post animam præcipua respirationis causa ac instrumentum est pulmo spongiæ non absimilis, ac instar spumæ sanguineæ concretus, is porro non solius diaphragmatis & musculorum pectoris concitatione, sed & propria virtute commouetur, cor etiã per calorem, quẽ affundit, nõ modice cõducit.

III.

An pisces respirent, vniuersim pronuntiari eadem responsione non potest: optime videntur sentire, qui piscium plerosq; negant respirare posse; nec vlla insignior eius rei necessitas apparet; cum in medijs aquis ipsi aquei, nec cur aere se exonerent, nec cur se illo inflent, habeant, si qui tamen pulmone arterijsq; instructi sint, eos spirare non negauerim.

IV.

De corporibus gloriosis, Christi, & sanctorum altior disputatio est, nouas enim auras, nouumq; aerem in cœlo fabricari, ne Poetis quidem concessum est; multo minus vt supra vltraq; cœlum Empyreum, quo Sacra Christi humanitas euecta piè creditur, noua ventilatio confingatur, innatum tamen illis, ac quasi vitalem aërem in pulmonibus hærere Doctores plerią; concedunt, quo etiam ad voces articulatè proferendas vtuntur.

V.

Haliæeti, Melanossi, Herodij, & pleræq; aliæ aquilarum species altissime subuolant quidem, vix tamen vltra secundum milliare aut tertium, causa est non solum defatigatio ex tam longa remigatione contracta: sed & respirationis necessitas: quo enim aër magis rarescit, & tenuatur, hoc difficilior redditur spiratio: Quod & ratio suadet & docuit experientia eorum, qui Pindum Thessaliæ, aut Rhodopen in Thracia ascenderunt.

VI.

Hinc fit stultissimum fuisse conatum Architectorum illorum, qui cæca ambitione ducti, turrim Babel, in cœlos educere allaborarunt; nam si vel maxime DEVS non obstitisset, nulla tamen vi ad supremam aeris regionem molitiones suas attu-

attuliſſent: quandoquidem ob inſignem aëris illuc diffuſi raritatem haud dubiè ſuffocati concidiſſent, vt de frigore mediæ, calore ſupremæ regionis nihil dicam: cui pares vix diu fuiſſent.

VISVS.

I.

IN exiguum oculi orbiculum natura quicquid ingenij habet, viſa eſt inſumpſiſſe, medius inter aqueum & vitreum locus aſſignatus eſt humori cryſtallino, figura lenticulari & pelluciditate vitrea; ſolidior eſt quam vitreus, in quo etiam velut Sphærula innatat, ambitur tunicis, aranea, ſuperciliari, retineâ, corneâ & conſolidatiuâ.

II.

An nerui optici, qui à cerebro ad vtrumq; oculum tendunt, concurrant, ſeq; velut in medio itinere interſecent, anatomici diſputant; non apparet mihi quidem vt id fiat magnopere neceſſarium, cum Veſalius adoleſcentem ſe nouiſſe ſcribat, qui hos neruos habuerit tam diſiunctos, vt nullibi ſe contingerent, neq; tamen vnquam dum viueret, queſtus eſt, quod geminis (vt Poeta de temulentis loquitur) exſurgat menſa lucernis.

III.

Anteriore parte membranæ vueæ fixum eſt à natura foramen, quod Peripateticis indicio fuit viſionem non in neruo optico, ſed in humore cryſtallino fieri, qui & tranſparet, & colore nullo infectus eſt, adeoque aptiſſimus ad ſpecies recipiendas; nec obſtat, quòd, qui ſagittas in ſcopum torquent, alterutro oculorum clauſo accuratius videant.

Pro-

IV.

Probabilius eſt lumen in toto medio neceſſarium eſſe vſque ad oculum: ſufficit tamen tam tenue, vt vix ſenſu deprehendatur, quod nautis in mari mediterraneo in Ægyptum tendentibus accidit, qui flammam in Pharo eminus conſpicantur, cum vicina omnia tenebris inhorruerint, nec alia fraude Nauplius naufragantes Græcos ad Capharei ſcopulos pellexit.

V.

Platonicos non miror, qui per luminis egreſſionem ex oculo ingreſſionemque arbitrabantur viſionem fieri, neque illorum opinionem fulcit, quod feles noctu etiam videant, radiis ſcilicet lucidis & ignitis ad obiectum transfuſis: cum mihi mens non ſit inficiari cattos ex oculo lumen emittere, ſed nego eos per lumen illud receptum videre.

VI.

Viſio igitur fit per ſpecierum viſilium ab obiecto diffuſarum receptionem: cui rei organum, ſi à natura negatum ſit, nulla arte ſuppleri poterit. Quod autem Chronica Polonica de Mieſco (qui poſt Miecislaus primus Polonorum Princeps Chriſtianus) cæco nato, & ſeptimo pueritiæ anno in ipſa nominis imponendi feſtiuitate ex inſperato perſanato prodiderunt, non liquet, an Deo adſcribi debeat, an ipſi naturæ membranulam humore ſue oculis offuſos diſpellenti.

VII.

Baſiliſcus viſu interitum, raucedinem lupus, rubeta vertiginem in muſtela efficit: quæ tamen aſſertionibus meis non officiunt, ſicut nec illa, quæ de oculo tum agnos (apud Virgilium) tum pueros (apud Plinium) tum homines alios (apud Comicos) faſcinante circumferuntur; nam vt maximè concedam virulentum aliquid ex oculo profundi, viſionem tamen eadem eiaculatione perfici non concedam.

Cum

VIII.

Cum interdiu è profundo hiatu vel puteo, vel per oblongam arundinem stellæ in cœlo à nobis videri possint, fuerunt non pauci, qui corpora luminosa lucemque ipsam per lumen videri asseuerarunt. ego ijs subscribo, qui id per species fieri sentiunt, sequeretur enim, vt vi luminis reflexi sol ipse vel stellæ viderentur, quod in speculis obseruamus.

IX.

Igitur obiectum visus formale est color, quatenus visibilis ac immutandæ potentiæ visiuæ aptitudinem habet: rectè definitur ab Aristotele extremitas perspicui in corpore terminata differtque à coloribus tantum apparentibus.

X.

Medium visus est diaphanum seu perspicuum, quod aptè definitur esse id quod non per se, sed per alienum colorem est visibile: à qua definitione perspicua terminata, vti & ea, quæ proprio nitent lumine, sunt excludenda.

AVDITVS.

I.

ORganum Auditus non est tympanum, sed aër innatus, qui cochlea continetur, dicitur autem aer non nisi per Analogiam quandam, cum reuera mixtum aliquod sit tenuitate tamen & pelluciditate aerem mentitur.

II.

Auditus desinit in neruum, qui foramini cæco coniunctus est, sicut & visus in neruos opticos; per illum spiritus animales dilabuntur, & sonorum species retrahuntur ad sensum communem.

III.

Nemo facile negabit principale Auditus obiectum esse sonum, quatenus vim habet immutandi potentiam auditiuam: quid autem sonus sit, non perinde constat: Ego iis assentior, qui sonum aiunt esse non ipsum motum aeris impulsi, vel corporum se collidentium, sed ex aeris confractione qualitatem aliquam, quæ per sonationem resultet.

IV.

Vulgo etiam mirari quosdam video, cur Drusiana (vt æstimatur) moles lapidea ad vrbis Moguntinæ muros constructa, quacumque parte digito percutiatur, in alteram partem sonum admotæ auri ingerat. Causa omnino est eadem, quæ in aliis corporibus tremulis adfertur, in quibus aer præcipuè dominetur.

V.

Vox proprie dicta solis quidem animalibus, sed non omnibus conuenit. Credibile enim est quod exanguia, quæq; non respirant, vocem non edant, sed stridorem duntaxat, idq; siue branchiis, vt pisces, siue alarum plausu, vt Muscæ & apes. Ne cicadæ quidem apud Aristotelem propriè vocales sunt.

VI.

Quid de illa vallium habitatrice Echo sentiendum? vox est prætereaque nihil. fit enim quoties sonus ab alio corpore, velut Pila ad certam distantiam repercussa resilit & aures ferit, quæ repercussio, si geminari possit, geminum dabit Echo, quales fuerunt illæ septem turres Thebanæ, quæ vocem ab vna acceptam, ita circumferebant, vt septies resonaret. quod ipsum Pataui decies fieri dicitur, & Moguntiæ quotidie patet ad D. Petri extra muros, vbi eadem vox ter redditur.

(:?:)

OLFA-

OLFACTVS.

I.

Extra controuersiam est odorem esse obiectum olfactus: is est qualitas orta ex temperie primarum qualitatum, eâ tamen lege, vt ex actiuitate calidi siccitas prædominetur; eius species vix cognitæ sunt ob olfactus hebetudinem.

II.

Disputatum verò fuit an aquæ ab odore penetrari possint? sed pisces litem diremerunt: Crocodilus enim carnium extra aquam alicubi latitantium odore ex imo fundo elicitur; odor prædæ Polypos in Nassam adducit, & sæpiæ adustæ carnis nidore exhilaratæ ad superiora aquarum se tollunt.

III.

Eodem Argumento demonstratur odorem non raro per species intentionales duntaxat diffundi, cum minimè probabile sit, vel per aquam, vel per tot leucas speciem realem propagari. Certè aues carniuoræ à pluribus milliaribus ad escam conuolant, & canum sagacitas herum, vel feram multorum sæpe stadiorum interuallo dissitam odore deprehendit.

IV.

Perperam Arist. ab iis intelligitur, qui ex eius lib. de sensu cap. 6. colligunt, solum hominem odore florum delectari: Apes enim Thymum eminus odorantur, & in Heloriis Siciliæ canes florum fragrantiâ adeo capiuntur, vt ab insectatione ferarum abstineant, vinearum florem bufones, serpentes, galbani, rosarum odorem Canthari non ferunt, vtique quia sentiunt.

GVSTVS.

I.

Gustum à tactu distingui Philosophorum optimi rectè docent, ne sensuum externorum numerus accidatur: non falsò tamen ab Arist. pronuntiatum est: omne gustabile esse quoddam tangibile, cum gustus sine tactu suum obiectum non percipiat.

II.

Ex Arist. male intellecto grauissime hallucinantur, qui gustum & tactum in corde ponunt: errant & ij, qui vel medium externum vsque ad organum gustus requirunt, vel species reales excludunt.

III.

Organum Gustus non ipsa lingua est, sed nerui quidam gustatorij, eorumque propagines toto palato diffusæ: in acumine autem linguæ acrior est Gustus, ob neruorum mollitudinem, qui se etiam longius videntur extendere, cum non ab re nobilissimus ille Philoxenus voluptuario voto gruis collum sibi optauerit; sed vltra titillationem Laryngis & Gurgulionis nihil magnopere euincitur.

IV.

Obiectum Gustus est sapor, cui tot tabernæ fumant, spumant Cadi, structores laborant; ac nescio an cui rei alteri humana sagacitas potius se tanquam mancipio addixerit. Vitellij patenas, Cleopatre cœnas, Bacchanalia Præmisli, auratas Actiacas, Boletos Cæsarum, Placentos Picentinorum, Eboci̧ saccarum, &c. memorare non attinet. quotidiana opera tot Coquorum, Fartorum, Cauponum in hoc desudat, vt nouam speciem saporis condiat.

V.

Nascitur autem sapor ex sicco terreo & humido, maximè aqueo, accedente videlicet, ac vtrumque percoquente calido, cuius copiâ ac agendi vi in regionibus Orientalibus sapidissima aromata colliguntur, & ab Hispanis ac Saracenis in alias plagas importantur; in locis verò Aquiloni subiectis etiam natiui fructus pene insipidi deprehenduntur.

VI.

Octo communiter species ab Aristotele percensentur: Dulcis in Ficu, Amarus in Colocynthide, in lacte, butyro ac melle pinguis: in salsamentis, acidulis, ac mari salsus. Acer in cinnamomo & pipere: Ponticus in olynthis & pomis immaturis, in acetarijs & muria acidus: acutus in cepis & raphano.

TACTVS.

I.

ORganum tactioni Galenus neruum attribuit, cor Themistius, Auerroes carnem: optimè philosophantur, qui hęc omnia coniungunt, vt totum corpus quà sensitiuum est, tangendi virtutem obtineat; quocirca sanguis, adeps, seuum, & ossa nullum hic sibi locum vendicant.

II.

Tactus pro obiecto formali habet tangibile, quód minimè restringi patitur ad palpabile, sed includit etiam graue, leue, dolorem, voluptatem, famem, sitim, & adeo quicquid temperamentum in animali efficit, vt non immerito sensus temperamenti dicatur.

III.

Tangibili supra tactum posito necessaria est tactio, quam frustra inhibere humana industria connixa est. fateor vnguēta esse, quæ corpus etiam à flamma tutentur, idem de lino carystio, & Asbesto historiarum conditores prodiderunt; sed hæc sensationem non nisi ad exiguum aliquod tempus remorantur; dum scil. vnguentum absumptum fuerit.

IV.

Solus Deus Opt. Max. tactum inter acerbissima tormenta ignesque tollet, si voluerit: Angeli seu boni, seu mali, si quid tale machinantur, vel somnum homini inter cruciatus conciliant, vel pharmacum ex opio, solano, &c. adhibent, vel miciliant, vel fascino in rei subductæ locum aliquid aliud substituunt (vide Paulum Grillandum) vel ictus auertunt debilitantue. Nullo modo concedendum, quod Ioannes Bodinus temerè effutiuit animas tantisper à corpore vi Geniorum abduci.

V.

Cacodæmonis etiam certissima ope (quicquid in speciem negent) non pauci hodie tactum sine tactu moliuntur, dum cæca vulnera sic inferunt, vt cum hostem glande plumbea peremerint, nullum tamen ne tenue vestigium sphærulæ in corpus adactæ vsquam compareat.

VI.

Ridiculus est Auerroes, qui negat tactum fieri posse, nisi inter tangens & tangibile intercipiatur medium extrinsecum: inter arietem enim, & murum cui admouetur, inter pilam tormentariam è fistula excussam & vallum quod sternit, inter Telephi vulnus & hastam Achillis, quid tandem intercedit?

VII.

Quod si pertinacius obsistant Arabes, & aerem intermedium asserāt, ne ab Aristotelico illo, tactum inter corpora immediata esse non posse, decedant, quid cælis facient, qui se immediate tangunt, quem aerem in luculentissimo incendio, quo tota Posnania velut in vno busto conflagrauit Anno 1447 excogitabunt?

VIII.

Tangendi subtilitate araneus, multiplicitate millepeda, pertinaciâ Polypus primas sibi vendicat, homini tamen (ac præcipue digitorum extremitati) laus princeps debetur: vnus est Elephas, qui Proboscidis suæ agilitate nobiscum adeo certat, vt etiam accurate scripsisse apud Plinium, Ælianum, & Solinum legatur.

IX.

Quis autem Simius? quis Elephantus Phrygiones nostros acu pictores, plastas, glyptas æquabit? quæ Bombyx? quæ aranea

aranea quicquam cum bellatis Attalicis Campanicisue peristromatis comparandum moliri potuit? non audiendi sunt igitur, qui dexterrimæ tactionis laudem homini præreptum eunt.


SPECIES SENSILES.

I.

SPecies sensiles, quod fiant, sint, ac conseruentur, nemini potius quam obiectis sensuum in acceptis ferre debent. Neque est quod eas ignauiæ quisquam insimulet; certe ad sensationes plurimum conferunt, ad easque rectius eliciendas cum potentijs, quà formaliter, quà efficienter concurrunt.

II.

Sensus licet diuerso respectu passiua & actiua potentia dici queat, non tamen ea ratione, qua intellectus diuidi, ac velut in partes distribui debet, vt alius sit sensus Agens, alius Patiens.



PENE-

PENETRALE SUPREMUM.

INFINITUM.

I.

INFINITUM vel extensione molis, vel intensione qualitatum, virtute diuina effici posse multi hodie non temerè sentiunt; neq; sane hactenus euidens vlla ratio in medium adducta est, quæ hanc infinitatem à Deo constitui non posse sufficienter conuinceret: quòd tamen hæc opinio vt captu, ita & explicatu difficilior est, malumus in plurium sententiam descendere, quæ statuit neq; substantiam neq; accidens vllum actu seu categorematicè infinitum ab vllo agente produci posse, ne à DEO quidem.

UNIVERSUM SIVE Mundus.

I.

VENIAM non meretur Arist. qui sententiam tot seculis inueteratam conuellere est ausus, mundumq; contra philosophos alios plerosq; ab æterno durasse somniauit: melius aliquando Plato, in operis huius (inquit) exordio DEVS ignem primò, terramq; creauit; & nescio profecto, an non hæc inter præcipuas causas fuerit, cur apud antiquissimos sanctissimosque in Ecclesia Patres Aristoteles aliquamdiu tam malè audierit.

 Non

II.

Non minus fœdè hallucinata est Antiquorum Philosophia, quæ mundum non è nihilo eductum; sed è præiacente materia aliqua velut è semine procreatum delirauit. Thales ex aqua, ex aere Anaximenes, Heraclitus ex igne mundum conflauit: ad πανσπερμίαν Anaxagoras, Democritus ad atomos, ad elementorum commixtionem Empedocles: Zareta Chaldæus ad lucem & tenebras, Poetæ deniq; ad Chaos vniuersi originem retulerunt.

III.

Mundi molitionem in diem Dominicum incidisse, Ecclesia in sacro quodã carmine (Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus &c.) non obscurè testatur. Si de tempore sit quæstio Hebræi in æquinoctio autumnali mundum à DEO fabrefactum asserunt: nos SS. Patribus calculum damus, qui nobilissimam hanc architectationem in Martium mensem incidisse sentiunt, circa æquinoctium vernum.

IV.

Et quoniam sacri codices vniuersarum mundi partium productionem in certos dies apertè digerunt, non est quod Physicos quosdam apud Plutarchum audiamus, qui terram primo, deinde ordine & per gradus ascendendo altiores partes ipsumq; cœlum extremò conditum scripserunt. Fallitur & Pythagoras, qui DEVM à quinto elemento hanc fabricam auspicatum finxit; frustra deniq; est Empedocles, qui ex Aethere ignem prosilijsse, aquam scaturijsse è terra, aerem vero ex aqua exhalasse prodidit.

V.

Meticulosi nimium sunt Stoici, qui apud Cicer. lib. 2. de Nat. Deor. asseuerant, incendium olim ab astris excitandum, quo mundus ita absumatur, vt nulla eius resuscitandi spes sit reliqua: idq; ne Astronomis veteribus consentire viderentur, qui mutuam quandam mundorum ἀνάλυσιν, & ἀνάστασιν confinxerant: sed vtrosq; doctè impugnat Lucillus philosophus.

Explo-

VI.

Explodendus omnino est Epicurus, qui quolibet temporis puncto infinitos mundos nasci, ac totidem interire delirauit: quorum quidem alijs solem, aliis lunam detraxit, aut pluribus maioribusue ornauit suo scilicet iure: Ne verò & DEOS illic habitantes internecioni obnoxios esse discipuli arbitrarentur, sui memor Deos metu minarum inter duos lucos, hoc est, inter duos mundos habitare apud Tullium fabulatur.

VII.

Optimè Aristoteles vnicum esse mundum asseruit, quo circa Alexander M. excellentior aliquando Imperator, quàm Philosophus, à lacrymis & ambitione abstineat, suas quoque sibi res Xenophanes habeat, qui teste Laert. Firmiano in lunæ sinu aliam terram, aliudq; genus hominum inuenit. Nihilo saniores Zenonici, nescio quos populos intra solis globum vitam degere sunt arbitrati.

VIII.

Non contentus Cotta apud Cic. in Platonis sententiam pedibus iuisse, ac mundum animal esse pronuntiasse: insuper eum & sapientem, & fidicinem, tibicinem, & Mathematicum, & quid non esse finxit. Patrum verò nostrorum memoriâ Hier. Cardanus, & Philatheus Academicorum opinionem ab inferis reuocarunt, sed infeliciter.

COELI COELORVM.

I.

VERITATI maxime consentaneum est, cœlum è materia & forma conflatum esse, quidquid Auerroes & Durandus contra nitantur: neque discedendum putamus à D. Thoma, qui materiam cœlorum specie differentem à materia sublunarium inducit. Nec improbabiliter contra Soncinatem tuemur tot esse materias cœlorum specie distinctas, quot sunt orbes cœlestes specie distincti.

San-

I I.

Sanctorum Patrum autoritati quantum deferendum sit, non ignoro, neq; tamen ideo cælos esse corruptibiles natura sua sentio, cum tota hæc controuersia philosophicæ sit Palestræ: neque sanctissimi illi viri suam potius quam suorum temporum opinionem protulerunt: illâ enim tempestate Academici florebant penè soli, Aristoteles vix in pretio erat.

III.

Proinde non temerè cuiuis narratiunculæ fides danda est, qualis tamen est illa Hypparchi apud Plinium, tum Cypriani Lernitij; qui se nouas stellas obseruasse prodiderunt: certe Tychon apertè quidem illam experientiam pernegat: nec abs re Ioannes Keplerus & Mathematici complures dubitant, ecquid stella, quæ anno 1604. in pede sagittarij; & longè ante altera, quæ in collo cygni apparuit, nouis syderibus sint adscribendæ.

I V.

Non repugno tamen, quin anno 1572. nouum sydus in Cassiopea fulserit, quod cum Venerem principio æquaret, sensim decrescens, biennio post occidit, quam Clauius in Italia, alijq; nonnulli in octaua sphæra fulsisse vno ore pronuntiarunt. Nego tamen cælorum corruptibilitatem hinc inferri. Etenim cum Fonseca, imo peritissimis Astronomorum has nouas stellas à DEO, vel intelligentia, non creari; sed ex rariorum cœli partium condensatione produci sentio.

V.

At hîc me non nemo temerè ad miraculum confugere stomachabitur, quasi vero id non tanto ante summus doctor Aur. Augustinus lib. 22. de Ciu. cap. 8. fecerit, cum ex Varrone narrasset stellam Veneris aliquando magnitudinem, colorem, figuram, cursum mutasse: de stella quæ magis apparuit, pari-

pariter Græcorum Latinorumq; plurimi idem tenent. Neque aliò vel Mathematici abeunt, cum de prodigio anni 1547. consuluntur, cum sol totum penè (vt ait Scaliger) quatriduum sanguine perfusus apparuit, cum interim ipso meridie stellæ in cœlo clarè viderentur.

VI.

Idem iudicium esto de cometis, qui supra cœlum Lunæ generantur; qualis ille fuit quem Albatechnus in cœlo Veneris, & quem Corn. Gemma in Sphæra Mercurij, & quem nos ipsi anno 1607. & 1619. suspeximus: verè enim stellæ dici possunt, & forte non incommode ex Arist. dicetur, affixam caudam non in cœlo, sed in suprema aeris regione oriri.

VII.

Censeo cum D. Ambrosio cœlum summa raritate esse præditum: Auerroem tamen non audio, qui cœlos fluidos & ceræ butyrique instar liquidos comminiscitur. Rationi enim conformius est, eos sub minima quantitate, plurimum substantiæ obtinere, solidissimosque esse, vt firmamenti nomine merito decorentur.

VIII.

Orpheus ab Apolline, id est, DEO cœlum vniuersum cythara canora temperari finxit: nec defuerunt huius harmoniæ propugnatores, Pythagoras, & Plotinus: sed quis hunc concentum è Pythagoreorum Schola audiuit? an Scipionis somnio apud M. Tullium deludi? an à Poetis cœlum DEI lyram appellantibus ad rem incredibilem credendam adduci patiemur?

IX.

Octo cœlos esse ex Chaldæorum traditione antiquitas tenuit: Timocharis annis ante Christum 330. nonum adiecit; decimum Alphonsus Hispanus, Corpernicus Prutenus vndeci-

decimum obseruauit, neque dissentit Clauius Mathematicorum facile Princeps. Theologis seu potius DEO reuelanti duodecimum debemus. Ineptit planè Alphonsus Lusitanus, qui solem ineptè in medio Planetarum collocatum iudicans, supra Saturni sphæram eleuandum iactitabat.

X.

An cœli vndecimi conuexa pars sit quadrata; an veste obducta, vt scripsit Democritus; an membranis inuoluta, vt Leucippus; an coronulis hinc inde insignita, quas Parmenidis ingenium fabrefecit, quis explicet? non abeo à communi Philosophorum opinione, cœlum etiam exterius rotundum esse iudicans. Prudenter tamen D. Basilius adnotat, nullam esse huius rotunditatis necessitatem, neq; apodictiċè Plato in Tymæo cœlum extrinsecus tornatum ac glabrum asseruit.

XI.

Motus cœli iam annos 5672. tenuit: interruptus tamen ad imperium Iosue & Ezechiæ preces: cietur non à proprijs formis effectiue, vt Alberto M. placuit; nec à DEO vel immediate, vel per qualitatem gyratiuam vt Gabriel & Albertus Saxo docuerunt: sed ab intelligentijs, quod non necessario per impulsum vel qualitatem impressam faciunt, quicquid Conimb. obtendant.

VIS ACTIVA COELORVM & Influentiæ.

I.

CONSIDERANTI admirabiles Plenilunij effectus (vt quod noctes sint tepidiores, Caneri & Echini impinguescant, humores in homine augeantur, fruges diductæ maturescant dubium esse non potest, quin cœlum per lumen in inferiora agat, calorem tamen, vti & alias primas secundasue qualitates cœlis non inesse contra Ptolemæum propugno.

II.

Ad hæc cœlum in inferiora per motum agit, idq; potissimum ea ratione, quod vnà cum lumine in illis calorem & motum exoscitet, proinde falluntur, qui supremam aeris regionem à stellis potius, quam diurno motu totius cœli calefieri, aut cometas accendi volunt. Quærit etiam Capreolus, an motus ille sit cœlo ratio formalis per quam agat: vero similius alij negant.

III.

Anceps vero hic pugna cooritur. An influentiæ cœlo permittendæ? Fridericus Bonauentura, Mirandula & Pererius acerrime in has qualitates occultas inuehuntur, easque Aristoteli & peripateticorum Astrologorumq; optimo cuiq; ignotas fuisse, ac proinde nouitium inuentum, ignorantiæ asylum, seminarium superstitionis, Astrologiæ iudiciariæ basin esse, plenis buccis crepant.

IV.

Sed meliora verba: Influentias non Arist. non D. Thomas: non omnis medicorum schola iam olim ignorauit: manifesta quoq; ratio non aliud euincit: sed & vniuersi pulchritudo, ac cœlorum dignitas ita postulat. quid enim? vt sublunaria alia infinita omittam, Maffæus lib. 5. historiæ Indicæ author est, Indum quendam commissâ cum Lusitanis pugnâ, quamuis toto corpore fœdè laceratus ac perfossus esset, exhiantibus tamen vulneribus ne guttam quidem sanguinis misisse, quòd nescio cuius animalis officulum penes se haberet, quod mirabili virtute sanguinem cohiberet.

V.

Influentijs infra terram ascribimus mirificam tot metallorum cocturam: cum credi non possit, calorem

 vllum

vllum ad nongentorum milliariorum profunditatem per crassissimum elementum penetrare: idem de gemmis in partibus meridionalibus, de coralijs in fundo maris, de salinis in faucibus montis Carpathi, quæque ad Bochnam pagum sub Boleslao pudico sunt repertæ, de creta in Cymolo, de Gypho in Tympho oppido &c. sentio.

VI.

Supra terram videmus lunâ etiam ad Antipodas præcipitante, maris nostri fluxum influxumq; concitari: Ephemeras auiculas sole in solstitij puncto hærente mane nasci, emori vespere: pediculos ad æquinoctialem lineam traductos repente extingui; ad Cori promontorium vnius montis partem, alteram gelu horrere, alteram æstiuis caloribus ardere: in Europa ad Acheloum fortissimos leones gigni, cum nusquam alibi sub eodem parallello in Europa vlli procreentur &c.

VII.

Iniurij tamen in genus humanum sunt planetarij, qui vllam cœlo virtutem in hominis voluntatem & intellectum directè agentem assignant: quis enim has nugas ferat, eum qui sub Marte nascatur Militem futurum, furem sub Mercurio, Piscatorem sub Aquario, Venatorē sub Orione &c? Neq; fortunatum illum Augusti Imp. capricornu moramur, quasi, qui sub illo nati sunt, ad imperium non dubie euehantur.

STELLÆ FIXÆ ET PLANETÆ.

I.

QVOD in speculis euenit, vt lumen à superficie duntaxat repercutiant, non autem secundum se tota in profundum admittant, idem in stellis fieri censendum est, ea enim densitate sunt, vt lumen solare, multoque minus aliud quodcunq; non se totis excipiant. tametsi non diffiteor, stellas omnes ex se, etiam sine sole lumen aliquod fundere, cum omne cælum natura sua luminosum sit, quod autem lucem actu non transfundit, eximiæ eius raritati asscribendum est: stellæ enim nihil nisi densior cœli pars sunt.

II.

Iam verò quid causæ est, cur stellas scintillare videamus? An quod Keplerus volebat, idem illis quod adamanti ac Iaspidi accidit, vt celerrime in orbem rotatæ, alios & alios angulos nobis ostendant? An perturbatio spirituum in oculo, ob tantam distantiam orta errorem inducit? An ratio ex aëre intermedio petenda est, vt quemadmodum Narcissus in aqua leniter mota sibi ipsi tripudiare visus est, ita humoribus crassioribus in aere à vento agitatis, species visiles necessario tremant: Huic opinioni fauet, quod cùm Venus & Mars aliæque stellæ, aliàs quietæ, scintillare incipiunt, non obscurum iudicium secuturi venti peritioribus detur.

III.

Christ. Clauius testatur se Conimbricæ, cum Ecclipsis solis esset, de die stellas clarissimè vidisse; Anno 1187. tanta fuit solis defectio, vt sidera non minus clarè, quam illustri nocte viderentur: apud Baronium sub Imperio Lotharij, itemq; apud Thucydidem & Ammianum aliosque non dissimilia lego, ex quibus plane conficitur præsentiam solis potissimum in causa non esse, cur stellæ de die lateant; sed aerem directâ luce vndique collustratum, & oculos nostros pertingentem.

IV.

Durum creditu est, quod S. Chrys. alicubi opinatus est, stellas in cœlo velut pisces in aquis moueri, in cœlo enim & via lactea est, & partes quædam rariores, quasi maculæ à nobis obseruantur, nouam quoque maculam in Gallia Thychobrahe adnotauit; At ab his stellæ æqualiter semper absunt, quod etiam

N 3

iam in altero vrbe verum esse deprehendit Josephus Acosta: stellæ igitur non natant, sed fixæ cum orbibus suis circumferuntur.

V.

Si vera est Mathematicorum obseruatio, Mercurium & Venerem aliquando supra solem fuisse eleuatos, ipsum quoq; solem in eadem parte excentrici nunc magis nunc minus abfuisse: ne cogamur de cælorum soliditate quicquam detrahere, iudicio Ioannis Antonij Magini præfatione in Theoricas Planetarum, stamus: qui in eodem excentrico tres Epicyclos statuit, vnum solis Mercurij, & Veneris reliquos.

COMETÆ.

I.

SVpposito quod à terræ supperficie ad supremam aëris regionem, non nisi milliaria 52. Italica intercipiantur, terræ verò diameter nongentas circiter leucas Germanicas comprehendat; negandum non est (quod & supra tetigi) multos Cometas in cœlo generari: certissimum tamen est quosdam in regione aeria oriri. id quod Ioannn. Liginus in Cometa ad An. 1502. viso clarè docet.

II.

Vndenam verò tantam exhalationum copiam tantę moli petimus? is enim Cometes qui Anno 1313. illuxit, trientem vel quadrantem terræ æquauit. alius Anno 1556. ab Æquatore ad vrsam tetendit, media die conspicuus, ac tantus, vt ad duos, quos apparuit menses, ne paludes quidem ac lacus omnes suffecturi fuisse videantur: quid si etiam ad magnitudinem longissima duratio accedat? apud Senecam sub Nerone sex menses, apud Iosephum vero ante excidium Solymę toto Anno, sub Imp. Ludouico Bauaro menses 4. comatum sidus illuxit. Sed nimirum & materia Cometarũ viscosa est admodum, & flamma adeo debilis, vt cum ea quam semel conceperit exhalatione terrena, sicca, pingui & compacta diutissimè luctetur.

III.

Magnitudo igitur Cometarum incerta est: raro solem mole æquant (vti post mortem Dani Regis accidit) autor tamen est Plinius sub initia Monarchiæ Augusti Cometen sole maiorem visum.

IV.

Locus Cometarum, vt tradit Arist. vt plurimum est extra tropicos: tempus quo conspiciuntur maximè autumnus est, ac æstas: neque audiendus est Plinius, qui eos dies minimùm septem, summùm 80. lucere scripsit. De illorum motu nihil statui potest: tametsi enim motu diurno sæpè moueantur, teste Gardano ad annum 1532. is tamen quem Seneca sub Claudio obseruauit, à Septentrione ad Orientẽ tendebat; Plinius alium à Septentrione ad Occidentem moueri vidit; Malleobus seculo decimo tertio Cometen vidit, qui motu recto sursum & deorsum ascenderet, alius apud Regiomontanum An. 1475. ita temerè vagabatur, vt intra diem à libra ad cancrum exin ad Casiopæam, mox ad pisces, deinde aliò & aliò incerta discursatione transilierit. sic is qui An. 1472. in Polonia duos menses luxit, ita incerto cursu vagabatur, vt etiam caudam non raro obuerteret.

COMETARVM SIGNIFICATIO.

I.

REstat opinor, vt de significatione Cometarum nonnihil delibẽ. Semper ridendos censui eos, qui natiuã illis vim ad mortem Magnatibus prænuntiandũ inesse dictitant, cum potentissimi Monarchæ sæpè fatis concedant, nullo sidere quicquã minitante. sæpè etiam comatũ sidus illuxerit, nullus tamen

tamen Regis mors sit insecuta. & verò quid nuperam illam in Nouembri conspicuam crinitam stellam ad inuictissimi Cęsaris Matthię mortem trahimus, quæ sequentis anni mense Martio consecuta est? cum præsertim è male feriatis Planetariis hæreticum scriptorem viderim, qui potentissimo alicui Principi, sed Ecclesiastico (Pontificem Romanum fortean designabat) mortem pronuntiari temere sparserit.

II.

Verè tamen D. Damascenus Cometas nonnunquam Regibus mortem portendere ait, non vt signa naturalia, sed diuinitus ad id instituta, vtque longius non eam gentis Polonicæ annales memorant quondam Vladislao Iagelloni Anno 1492. Casimiro 3. & Anno 1506. Alexandro Polonorum Regibus mortem imminentem à fatali Cometarum astro prænuntiatam fuisse. Sub Stephano autem æternæ memoriæ inclyto Rege nuper anno 1577. visus Cometa, Turcis ac Moscis horrendas Clades præsagiuit, quas ab inuictissimo illo Rege sunt passi.

III.

Genuina verò Cometarum significatio est, quod exhalationum copia designetur, ex qua tempestates, terræ motus, sterilitatem, & morbos ob aeris intemperiem enasci solitos non difficili coniectura auguramur. Sic obseruatum est temporibus Nicomachi Archontis Cometâ circa Æquatorẽ fulgente, Ægyptum horribiliter concussam. tempore Auicennæ, à ventis Cometam insecutis, in aerem elata tria saxa, quorum maximum fuerit 60. pondo. An. 1477. syluas ipsas non solum segetes exaruisse. An. 1240. in Burgundia montes inter se concurrisse, &c.

IGNIS.

I.

Audacter sanè Hieron. Cardanus cum ignem aut ex elementorum numero penitus proscripsisset, aut è cælo de-

tractum in fornaces, silices & cauernas, inclusisset, exclamauit lib. 2. de subt. Omnia igitur astra calida, omnia elementa frigida sunt, omnisq; calor ab astris est. Sed triumphum canit ante victoriam: fortiori gradu stat Arist. quã vt his thrasonismis deijci patiatur, pręsertim cum ne Pythagorę quidem concedere voluerit, qui cælis ab adustione cauens, ignem longius in medium quoddam spatium reiecerat.

II.

Ardet nihilominus in Sicilia Ætna, Chimæra in Phaselide, in Æolidibus Lipara, Hecla apud Islandos, in Bactris Caphanti vertex: igneæ vero eruptiones ad Septentrionem tantæ sunt, vt orbi vniuerso interitum videantur minitari. An ergo cum Poetis ignem silicibus inclusum, aut ad subterraneos meatus damnatum dicemus? dicamus sanè dummodo illud fixum maneat, proximè lunæ, cœlo, sphæram ignis à Deo extensam esse.

III.

Ignem elementarem à nostrate non nisi accidentali discrimine diuidi arbitror, eius vsum ad Promothei vsque tempora in terris incognitum fuisse quis credat? Illud magis mirum fulminales illas machinas, quas bombardas ac petardos, mortariaque dicimus, tam sero excogitatas: earum tanta vis hinc maximè petenda, quod & calor sit qualitas maximè actiua, & flamma ob tenuitatem se facillimè insinuat, & ne suffocetur quouis periculo cauet: sed nempe Aureæ Moguntiæ huius inuenti gloriam Deus reseruasse visus est, etsi Cromerus lib. 13. à Germano quodam Venetiis hanc Machinam circa annum 1380. inuentam scribat.

AER.

Ignem proximè aër excipit, cuius loci tenacissimus infra aquas demergi, aut terræ specubus defodi iniquissimè fert. quæ eius pertinacia naufragis quidem vtri inflato insidentibus cõmodissima est: magnis tamen ædificiorum substructionibus sæpe fatalis fuit.

I I.

Et quamuis innata sibi humiditate igni obluctetur, succumberet tamen olim non dubie, nisi summa raritas actiuitatem aduersarij retardaret. secundum neutram superficiem perfectè rotundus est, maximè in parte conuexa; cum sub æquatore plurimũ ab igne infestetur contrahaturq; ; sub Polis autem propter solis absentiam, ac immodicũ frigus in ignem altissime insurgat, eumq; latè depascatur.

I I I.

Aerem non nutrire opinor, cum nullum elementum hac vi sit prædítum, si purum sit; proin quod de Camæleonte circumfertur, in fabulis numero; neque vel Plinio, vel Aristoteli quicquam tale prodere in mentem venit, non enim aëre duntaxat impuro aut rore vescitur, vt ait Cardanus, sed lactucas etiam comedisse à non nemine est deprehensus. Scaliger etiã celerrimo linguæ iactu muscas ab eo irretiri, ac deuorari contendit.

IMPRESSIONES IGNITÆ in aere, &c.

I.

VAriæ quidem harum impressionum sunt figuræ, locus etiam, quo generantur, nõ idem, cum in qualibet aeris regione quædam progignantur, nonnullæ etiam in terræ visceribus accendantur; Substantiã tamen non differunt, cũ aliud non sint, quam ignis in aliam & aliam magnitudinẽ, formam, raritatem, densitatem, leuitatem, grauitatem discedens.

I I.

Earum materia est exhalatio sicca & calida, quæ vel motu, vel Antiperisthasi, vel ab igne vicino, vel solaribus radiis accẽsa, si à peruadente igne citissimè percurratur, dicetur stella cadens; si æqualiter sit crassa, subtilis tamen, iaculum erit vel lancea; si per interualla distet, rarior tamen sit, stipulæ ardentes, si in longum porrecta, sed crassior, trabs, si occursu frigidæ nubis infracta curuetur, draco volans, si sursum protendatur, columna; si inæquali magnitudine & interualla hinc inde inflãmata, capra saltans nominabitur.

I I I.

Cœlum nonnunquam inardescere, aut media nocte illuxisse visum (vt factũ in Polonia circa an. 1277.) quod fiet, quoties exhalatio longè latéq; sparsa, & totam supremam aeris regionem occupans arserit: quæ si in nubem densam impingatur, ac luce vndiq; circumfundatur cœli in antrum seu chaos dehiscentis speciem mentietur.

I V.

Dæmon porro fatuo igni (qui in ima aeris regione viscosam materiam tenaciter adlambens ad aeris motum agitatur) sæpenumerò se admiscens, viatorem præcipitat. Cæteroquin in locis palustribus, sepulchretis, prope patibula, inter equorũ iubas, vel supra æstuantium hominum verticem naturaliter exoritur.

VENTI.

VEntos numero quaternario describi constans olim opinio; Arist. plures adiecit; nec iis contenti Phœnices, qui vsq; ad Atlantidem & Taprobanen cursum direxerunt, ad numerum 32. ascenderunt, qui ipse hodie Lusitanis & Hispanis incognito freto vndiquaq; insultantibus nõ sufficit, neq; mirum, tot enim venti, quot puncta in horizonte sunt, assignari possent.

PLVVIA.

I.

PLuuiam rectè descripseris, nubem humidam ardore solis resolutam, inq; guttas liquefactam. diuidi solet in imbrem, nimbum, & pluuiam pressius sumptam; descensus eius nonnunquam ab vno milliari est: neq; dubitandum, quin sæpè à tribus & amplius sit; cum nubes eo vsq; peruehi soleant, quæ tamen subinde ad turrium cacumina, & montium iuga pertingunt; vt non defuerit, qui in alpibus Rheticis se in nube rorida manus lauisse gloriaretur.

II.

Ingruentis pluuiæ non pauca sunt præsagia, videlicet humor quidam in lapidibus, olei stridor in lucerna, galli cantus & exhilaratio, muscarum & culicum infestior morsus, bucularum aerem naribus captantium suspectus: auidior pastus ouium, boum è pascuis ad stabulum festinatio; multa coaxatio ranarum, solis aut lunæ pallor, cœli matutini rutilatio & alia non pauca, quæ naturalem causam habent.

III.

An autem in ipsa pluuia præsagium esse possit, erit qui interroget; scriptores profani non pauci affirmant, negant Physici & rectè: tametsi enim in monte Albano lapidibus, in Campania lacte, sanguine in Silesia An. 1270. idq; totum triduum, oleo nonnunquam, carne ante bellum ciuile Marianũ, farinâ P. Ælio. & Cn. Cornelio Coss. & mense Maio passim ranis, semel etiam alicubi vitulo pluerit, causam tamen eamq; à natura petitam habent.

IV.

Hæ igitur tam prodigiosæ pluuiæ oriuntur; vel quod ventus violentior lapides aliunde auulsos, aut aquam cum pisculis sublatam alibi confertim deijciat, vel quod exhalationes è loco talibus rebus infecto extrahantur; vel quod in aere è variis vaporum ac exhalationum permistionibus color oriatur, qui talium rerum speciem mentiatur.

IRIS.

I.

VIsum est Cardano Iridem merum esse ludibrium oculorum; id ego vt illi credam, non adducor, tum quod ex nubis lucisq; mistione fiat, ratione partiũ magis aut minus obscurarũ, tũ quod oculus recipiendo videat, tũ quod idẽ de virgis, Halone, Parelio dici deberet. quis verò D. August. duos soles ante Christi aduentum apparuisse affirmanti, aut Eutropio narranti ipsa Christi nascentis die tres soles ortos in vnum coiuisse,

coiuisse, aut Martino Cromero Cracouiæ tres soles meridie post medium Decembrem anni 1492. emicuisse contestanti, aut Surio ad Anno 1528. tres soles Tiguri luce palam visos esse scriptitanti, obtendat meras fuisse oculorum præstigias?

II.

Neq; tamen hinc inferas velim, colores, qui in Iride videntur, naturales siue eiusdem rationis cum Puniceo, viridi & purpureo nostratibus esse, cum è primis qualitatibus non oriantur: sed Meteorologici sunt, qui ex luce à corpore inæqualiter opaco reflexa causantur.

III.

Grauior lis est, an ex radiorum solarium refractione, an potius reflexione Iris fiat: ego pro reflexione sto, simul etiam D. Thomæ accedo, qui non ex institutione solum diuina Geneseos 9. cap. sed & naturale signum diluuij vniuersalis non futuri Iridem esse docet: cum eo tempore, ex nubibus nõ turgentissimis sol imbrem modicum naturaliter fere eliciat.

AQVA.

I.

GRAVITER falluntur, qui elementum superius inferiore decuplo maius esse opinantur, cum aqua vt plurimum vnius Leucæ profunditatem non habeat: & vix ad tertium milliare descendat: exceptis fortasse quibusdam sinubus & vorticibus, ad quos nullæ bolides sufficiunt, siue quod breuiores sint: siue quod à fluctibus in latera obliquentur.

II.

Figura item nulli penè elemento minus, quam Aquæ constat: nisi forte hanc iacturam hominum gratia factam, cœlum aqueum (vulgo crystallinum) egregie sarciat, de cuius rotunditate quoad concauum & conuexum, neminem, qui dubitet, scio.

MARE ET EVRIPI.

I.

PLATONIS delirium est è Tartaro in terræ centro sito, maria prorumpere: apertius nugantur Anaxagoras & Metrodorus, dum terram æstuantem inducunt, è cuius sudore enatum sit Mare: propius aliquanto ad veritatem Christianam philosophatus est Diogenes & Anazimander: senserunt enim aquas initio quidem terræ circumfusas, ardore autem solis partim exsiccatas, partim in certos lacus demersas.

II.

Maria quinq; potissimum in Scholis celebrantur. Oceanus, Mediterraneum, Erythreum, Persicum, Caspium: de postremo non abs re dubitatur, an lacubus stagnisue potius sit annumerandum, cum litoribus vndiq; sit clausum, & omnis eius ambitus duodecim diebus circumiri possit. Mari rubro ab aquarum rubedine nomen inditum vulgus sentit, neq; dissentiunt nautis Lusitani, qui tamen illud quoq; non inficiantur aquam inde haustam coloris expertem esse, ex quo coniecturam sumpserunt, à coraliis & arena rubra hanc nomenclationem manasse.

III.

De Aestu vero Marino tanta opinionum est varietas, vt tutissimus prope sit, qui cum Scaligero ignorantiam excusat, quis enim satis expediat, cur mare Britannicum in refluxu ad 60. milliaria, Flandricum non nisi ad 9. se effundat? Cur oceanus Gaditanus senis horis intumescat totidemq; decrescat. Aquitanius vero septenis horis accedens, quinis duntaxat detumescat. Si Philosopho omnino dicendum aliquid est, Ptolomæo, Scoto ac Auerroi subscribo, mirificum hunc motum à luna cieri, idque per occultam qualitatem haud paulo minus quam motu & lumine.

SVB-

SVBDIALE
ENS.

I.

METAPHISICA in altissimum mundanæ cognitionis fastigium euecta scientiarum naturalium Princeps ac disciplinarum regina iure audit, tum quod suum cuiq; obiectum ordinat & constituit, idq; si opus sit demonstrat, tum quod principia earundem suis generalissimis principijs solidata, ab omni erroris nota vindicat: tum deniq; quia latissimè euagata DEVM, Angelos, adeoq; Ens vniuersum contemplatur.

II.

Itaque obiectum Metaphysices adæquatum est Ens, illimitatum quidem, si generalia principia respicias, ipso tamen cōsiderandi modo longe est astrictior, ne in aliarum scientiarum fines temere incurrat, totiusq; humanę sapientiæ iura interuertat: neq; enim hoc Ens aliter sibi considerandum putat, quam prout à materia præcisum est.

III.

Ens reale duplicem admittit significationem, primo enim est idem quod existens. Secundo significat id, quod habet essentiam realem eamq; vel potentialem vel actualem.

IV.

Ens respectu inferiorum Analogum est, Analogiá scilicet attributionis intrinsecæ, cuius proprietas sit (nisi attributum vocare malis) realis & positiua perfectio Entis, non

tamen

tamen aliquid reale Enti superadditum, cum formaliter addat vel negationem vel denominationem per habitudinem ad aliquid extrinsecum sumptam.

ANIMA.

I.

PRIMATVM tenet inter partialia Physicæ totius obiecta corpus animatum, cuius formam in tractatu de anima contemplatur Philosophus, eiusque naturam gemina definitione ob oculos ponit. Prior eaq; formalis est hæc: *Anima est actus corporis organici potentia vitam habentis.* Posterior ab effectis desumpta est: *Anima est principium, quo primo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Harum vna per alteram tam à priori, quam à posteriori, in certo genere causæ demonstrari potest.

II.

Animæ vegetantis, & sentientis principium productiuum est generans: de rationali vero cum philosophorum principe contra Epicureorum insanas voces statuendum est, eam non modo non ab homine, sed ne ab intelligentiis quidem produci posse. Vnus est DEVS, qui eam nutu creat, eodemq; temporis punctulo, quo corpusculum suis organis abunde instructum, & ad tantum hospitem recipiendum non oscitanter dispositum fuerit, materiæ vnitur, siue, vt Christiani vulgo loquuntur, corpori infunditur.

III.

Anima vegetans & sentiens, quoniam materiales sunt: ita corporibus, quorum sunt formæ, coextenduntur, vt pars parti, totum toti, velut examussim respondeat Rationalis autem anima cum à Materiæ concretione penitus sit libera, ac partibus, quas integrantes dicunt, destituatur, est tota in toto, & tota in qualibet parte.

ANI-

ANIMÆ POTENTIÆ.

I.

ANIMA principale quidem, non adæquatum tamen vitalium operationum principium est, eoq; nomine, ne in corporib: otiosa deliteat, certas potentias ex se fundit, easq; in laborum partem pro imperio euocat, vt earum adminiculo fulta, quæ sibi competunt, facilius exequatur: atq; ita triplex genus causalitatis erga illas exercet, efficientis nimirum, finalis, & materialis, quin etiam re ipsa à singulis distinguitur.

II.

Distinctio potentiarum specifica primariò quidem à propriis, & intrinsecis earum differentijs, secundario tamen & quo ad faciliorem nostrum cognoscendi modum, ab actibus & obiectis earundem formaliter desumenda est.

III.

Non abnuerim quandam quasi sympathiam in potentijs elucere, cum vna alteram exstimulet, & ad operandum impellat, à vero tamen longius exerrant, qui per influxum realem hanc excitationem se commodè explanaturos arbitrantur.

IV.

Potentias, quas inorganicas seu rationales vocant, sola anima vt immediatum & adæquatum subiectum in se recipit: Organicæ corporeis organis immediatè, non vero compositis ipsis, inhærent.

V.

Tres assignantur vegetatrices potentiæ: Nutrix nimirum, auctrix & genitrix: quarum duæ posteriores cum priore, vt per consequens, inter se re ipsa conueniunt.

VI.

Fames & sitis finaliter per appetitus; illa calidi & sicci; hæc frigidi & humidi, aptè definiuntur: formaliter vero fames

P

mes est dolor sensus, vel ipse sensus diuulsionis ventriculi, ortus ex attractione alimenti: sitis vero similis dolor, aut sensus ortus ex attractione potus.

INTELLECTVS.

I.

INTELLECTVS potentia animæ rationalis, res omnes, quatenus à nobis intelligibiles sunt respiciens, in Entitate sua reali vnus, officijs in agentem & patientem distinguitur. Prioris munia sunt obiectum phantasmate repræsentatum illustrare per speciem intelligibilem, efficere obiectum intelligibile in actu primo, ac denique abstrahere species à phantasmate.

II.

Possibilis non est pura potentia in genere entium, sed solummodo in genere intelligibilium. Huic conuenit esse principium eliciens intellectionum, easq; in se recipere.

III.

Vt color visui, vt auditui sonus, ita quidquid vbiq; est intellectui respondet: neque aliud illi obiectum adæquatum, quam Ens assignari potest. Et quoniam nihil cogitatione ac intellectione assequi possumus, nisi cognoscitiuæ potentiæ coniungatur, species impressæ (eæq; à phantasmatis omnino diuersæ) adsciscendæ sunt, quarum beneficio mens nostra intellectionem eliciat.

IV.

Specierum singularium, rerumq; materialium principium productiuum constituendus est intellectus agens: vniuersalium vero & spiritualium obiectorum species probabilius est à possibili produci.

MEMO-

MEMORIA.

I.

CLARA verba sunt Gen. 1. cap. hominem creatum esse ad imaginem & similitudinem DEI: quæ similitudo à tribus potentijs animæ citra necessitatem sumitur: sufficit eam ex actibus petere, cum nulla magnopere ratio vrgeat, cur memoriã intellectiuam ab intellectu distinguamus, nisi ratione.

II.

Aliter se res habet in memoria sensitiua, quæ res vel exteriore vel interiore sensu cognitas vt cognitas percipit Hæc enim non in hominibus solum, sed & feris syluestribus reperitur, quæ certam domum statis temporibus frequentant, vt fœnum aut pabulum dominorum iussu illic collocatum depascantur. Talium spectaculorum omnia roboraria, viuaria, & auiaria sunt plena.

III.

Præ cæteris tamen animantibus irrationalibus ea pollet elephas & canis, qui ad multos annos meminerunt. Bucephalus Alexandri Magni, Equus semiramidis, Anser pueri Oleni, Gallus Gallinaceus pincernæ regis Bithyniæ, proximè accedunt. De muscis an memoriam habeant non ab re dubitatur cum ad cibum semel inuentum repulsæ identidem reuolent.

IV.

Memoriam aũt sic definio: est potentia seu vis in anima, quæ rerum cognitarum perceptarumue imagines, tanquam thesaurum recondit: vt vbi necessitas vsusque flagitauerit, eas promat. Itaq; non imperite disciplinarum officina, archiuum sapientiæ, prudentiæ mater à causa finali denominatur.

V.

Cogitationum quoq; varietas, ac animi in plures quasi partes distractio, species ab intellectu conseruatas mire confundit.

fundit. Sic apud populum Athenienſem Theophraſtus & Demetrius Romæ in Senatu nimio pudore, metu Demoſthenes apud Philippum Macedonem Imp. Anton. & Barth. Sothinus apud Alexandrum Pontificem Maximum, orationis ſuæ immemores obmutuerunt.

IX.

Optima memoria ornantur, quibus cerebrum mediocriter humidum eſt, ac ſiccum: qua laude non oratores modo Cyneas Hortenſius, M. Tullius, Portius Latro & Seneca, ſed & magni Imperatores ad inuidiam floruerunt, Cyrus, IVLIVS Cæſar, Scipio &c.

XI.

Reminiſcentia eſt, cum ex vnius rei memoriâ apprehenſæ recordatione quadam velut mentis ratiocinatione, in alterius memoriam aſſurgimus. Aliter quidem Academia vetus, & hodie noui Platonici in Iaponia Bonzij; qui hominem nihil, aut vix quicquam de nouo in hac vita addiſcere ſomniant; ſed in memoriam duntaxat earum rerum redire, quas in alia vita ſemel hauſiſſet, priuſquam in lucem hanc ederetur.

SENSVS INTERNI.

I.

SENSVVM externorum (de quibus hactenus) actibus diiudicandis admittendus eſt ſenſus internus re diſtinctus ab externis, qui deſcribitur, quod ſit potentia organica, perceptiua rerum ſenſibilium per ſpeciem externo ſenſu hauſtam.

II.

Principia minus principalia & partialia actuum ſenſus interni ſunt ſpecies ſeu Phantaſmata impreſſa & producta non ab obiectis ſenſuum externorum, nec ab impreſſis eorundem ſpeciebus; ſed ab expreſſis ſeu ab ipſa ſenſatione ſenſus externi in facto eſſe.

III.

Vt Philoſophum apprimè decet, ratione duce vſum nuſquam deflectere, niſi quo eum veritas allexerit, ita minime debet committere, vt quæ in ſcholis paſſim recepta, tritaq; ſunt, ſine neceſſitate ac temere excutiat. Admittimus igitur peruulgatam illam ſenſus interni partitionem in ſenſum communem, Phantaſiam, Imaginatiuam, æſtimatiuam & memoriam: modo fixum & illud perſeueret, hæc quinq; non re ipſa ſed ratione duntaxat inter ſe diſtingui.

IV.

Senſus internus pro obiecto materiali habet rem ſenſibilem ſenſu exteriori quocunque modo perceptam: pro formali imaginabile, ſeu immutatiuum ſenſus interni per Phantaſma.

INDIVISIBILITAS ANIMAE.

I.

NVlla anima dici poteſt indiuiſibilis, ſi partes Metaphyſicæ ſpectentur; & vice verſa, nulla anima dicetur diuiſibilis, ſi partes eſſentiæ phyſicas conſideremus; cum nulla poſſit conſtare materia & forma, ne ratio compoſiti totius vni duntaxat parti tribuatur.

II.

Quæſtio potiſſima eſt, an anima partes habeat, quæ partibus quantitatis reſpondeant, quibusq; per accidens extendatur? Neque hic de Plantis quiſquam controuertit cum nemini non notiſsimum ſit taleas, ſurculoſue ab arboribus præciſos nihilo ſecius frondere, inſitionem pati, ſuccum, etiamſi incidantur, protrudere. ſola pene cupreſſus eſt, cui ſemel reſecta inſtrumenta ad vitam propagandam deſunt, vt funeſta arbor Romanis exequijs merito ſit celebrata.

III.

Quæ verò nec osseum, nec carneum quicquam verè habent, sed quiddam inter hæc velut medium, quæq; tenui colligatione caput ventri annexum trahunt, & aliqua sui parte quasdam quasi incisuras habent: ab Aristotele insecta dicuntur, à nonnullis incisa: Tales sunt vespæ, scarabæi, cicadæ, formicæ, &c horum omnium animas esse diuisibiles pronuntio.

IV.

Animam rationalem diuisioni subijcere errore non vacat, quę de D. Dionysio Areopagita, & S. Albano martyre Moguntino piè redduntur, in dubium minimè reuoco: sicut nec ea, quæ de quibusdam referuntur, quod resecto capite aliquā diu ambulauerint, vel destinato passu ad certam personam vel locum contenderint: nam hæc spiritibus vitalibus tribui possunt, nec absurdum est dicere animam aliquamdiu in corde vel trunco potius conseruari; præterquam quod vel diuina potentia, vel imposturæ satanicæ, harum motionum causam nonnunquam præbeant.

V.

Controuersia autem penè vniuersa apud Peripateticos est de animalibus perfectis, v. g. equo, leone, graues in vtramque partem autores discedunt, nec leues pro vtraq; rationes militant. mihi Arist. non obscure videtur sensisse animas brutorū omnium esse diuisibiles, eamq; sententiam vt vero similiorem amplector.

ANIMÆ RATIONALIS IMmortalitas.

I.

SEparatio animæ rationalis à corporis domicilio, nō potest illi naturalis dici, cum sine totius compositi pernicie non accidat: neq; tamen ideò violenta haberi debet, quasi naturalis illi aliqua regressio ad corpus intelligatur: cum resurrectio mortuorum totius naturæ potestatem viresq; excedat: dicenda igitur est præter naturam in facto esse. Epi-

II.

Epicurei philosophorum pessimi, & Democritus è Sardanapali oleto hauserunt animam hominis morti obnoxiam esse: siue quod eam è materiæ massa eductā delirarent; siue quod iudicio quorundam aliud non esset, quam particula ex anima vastissimi illius animantis (mundi) decerpta in conflagratione totius vniuersi olim exurenda. Nihilo illis meliores Sadducæi apud Matth. & Athei moderni.

III.

Pro animarum immortalitate pugnat Deus, scriptura sacra, ratio: accedit auctoritas Hebræorum, Chaldæorum Trismegisti cum suis Ægyptiis, Platonis cum Academia, Zenonis cum Stoa, Aristot. cum Lycęo, Gentium deniq; penè omnium.

ANIMA SEPARATA.

I.

QVo igitur locorum anima à materiali illo nexu corporis libera se confert? Reijcienda inprimis inepta illa Iuliani Apostatæ gloriatio se Alexandri M. animam circumferre, quo errore imbuti fuerunt Iamblichus & Plotinus ac Pythagorici omnes à Magistro suo decepti, qui primus hanc μετεμψύχωσιν magno Philosophiæ probro in Italiam inuexit.

II.

Fides orthodoxa inter tot aliorum errores, constanter verisimeq; tenet animam simul ac supremo halitu de corpore pulsa fuerit, à iustissimo iudice ad certum locum amandari, eum videlic. quem opera totius vitæ postulauerunt, nec aliud fabulę innuunt de Minoe Æaco & Rhadamanto rerum capitalium triumuiris tam verbosæ: eodem spectant, quæ hinc de Tantalo, Sisypho, Prometheo, Tityo, Encelado, Theseo, de Hercule, Ganymede, Anchise aliisq; in astra & diuos relatis Heroibus semideis indigetibusq; memorantur.

III.

Negandum tamen non est in anima separata appetitum inna-

innatum ad corpus nunquam non manere: de appetitu rationali ſeu elicito aliter pronuntio: anima enim in ſtatu puræ naturæ, quamdiu ſeparata eſſet, naturali beatitudine potiretur. nec veriſimile eſt eam, vt caduco corpore fruatur, tanta perfectione excidere velle. Damnatorum animæ (vt de eo quod re ipſa fit ſermo inſtituatur) coniunctionem cum corpore penitus deteſtantur, metu videlic. tormentorum, Beatæ verò ſanctæq; illæ mentes corpus animale quod depoſuerunt, horrerent, niſi illud incorruptibile ac glorioſis dotibus illuſtrandum ſcirent.

IV.

Ex his quodammodo de tot Lemurum, ſpectrorum, laruarum, vmbrarum apparitionibus pronuntiari poteſt, nimirum in animę arbitrio poſitum non eſſe, vt ædes, quas olim habitauit, aut monumentum, quo corpus ſuum velut exuuias abiecit, reuiſat, neq; Angelorum vlli tanta poteſtas: proinde dubitari vix poteſt, ſæpiſsimè has mortuorum apparitiones inania dæmonis terriculamenta eſſe, qui vel impiorum cadauera ingreditur & vitam ſimulat, vel eorum aliquod ſimulachrum in aere effingit: Solius Dei imperio nutuq; animæ demortuorum nōnunquam viuos reuiſunt; vt vel opem implorent, vel aliquid denuntient, vel certè animarum immortalitati contra tot nouos Epicureos fidem aſtruant.

INTELLIGENTIAE SIVE Angeli.

I.

PHiloſophus rationalis ex vniuerſi perfectione, cælorumq; motu probabiliter colligit Angelos dari; accedūt effectus quidam plane admirabiles, quales ſunt vaticinia, oracula, apparitiones: diuerſiſsimi item motus, linguæ, volatus & prædictiones in iis, quos inſederint. Socrates autem, Plato & Seneca, aliiq; ſub Genij nomine vel dæmonii etiam Angelos cuſtodes agnouerunt.

II.

Quintuplex compoſitio in Angelis cernitur: 1. ex genere & differentia, quam fruſtra Durandus negat; 2. ex eſſentia & exiſtentia. 3. ex natura ſingulari & perſonalitate. 4. ex natura ſpecifica & differentia indiuiduante (etſi duas has D. Thomas non admittat.) 5. ex ſubiecto & accidente.

III.

Angelus ipſo ſui ortu à Deo accepit ſpecies omnium rerum naturalium ſed vniuerſalium: de ſingularibus id pronūtiare non auſim, cum magnus omnino auctor D. Auguſt. aſſerat, eos quædam cognoſcere per experientiam, itaq; probabiliter cenſet Scotus in Angelis intellectum agentem & poſsibilem dari.

IV.

Angeli inter ſe loqui (vt Theologi dicunt) poſſunt: decipere tamen ſe mutuo, aut ſibi inuicem mentiri ne Cacodæmones quidem poſſunt, eo quod audiens loquentis conceptū intuitiue penetret, nō voce expreſſum audiat, vt apud nos fit. Hanc locutionem Angelicā non in impreſsione ſpeciei intelligibilis, ſed potius in applicatione quadam voluntatis conſiſtere ſtatuendum eſt.

V.

Locus Angelorum proprie cœlum eſt, mundi tamen gubernatio & hominum ſalus non paucos in terra aut cœlorum motu ſine fatigatione occupant: eos verò qui in cælis peccatum contraxerunt ſuperbia, partim ad Tartarum fulmine eliſit, partim in aërem ceu niuem diffudit. Qui Angelorum caſus ne Empedoclem quidem, aut Phereciden alioſq; naturales Philoſophos latuit.

VIS, POTESTAS, ET SCIENTIA intelligentiarum.

I.

MAgnæ omnino vires ſunt Angelorum, cum & dæmon tot ſtupendos effectus producat: nam tempeſtates, tonitrua, & terræ motus cient; ferociſsimas beſtias proſternunt, ignem

è cœlo iaculātur, morbos vel immittunt, vel abigunt, rebus inanimis motum, brutis vocem humanam affingunt; corpora vel momento auferunt, vel aspectu astantium subtrahunt: dapes & cupedias, & pecuniam simulant, & id genus sexcenta, vt taceam ingens nonnunquam ad victoriam momentum ab illis adferri. Bonorum quidem Angelorum ope Vladislaus Iagello Rex cruciferos Anno 1410 in fugam egit.

II.

Admiranda illa non nisi motu locali & applicatione actiuorum ad passiua efficiunt: Neq; verò necessum est opinari Angelos mobili impulsum imprimere, cum & rei motę sint præsentes & sufficientem vim ad agendum sint sortiti, quãdo vero Angelus bonus malum de loco deturbat, probabile est id per virtutem impressam fieri: pręsertim cum hæc præcipitata violentaq; eiectio ad damnatorum spirituum contumeliam, ac infamiam cedat.

III.

Ecclipses solis & lunæ, visus Astrorum, & quid quæq; bestia actura sit Angelus certò prædicet, nisi autori naturæ quicquam immutare libuerit: at quæ planè contingentia sunt, aut facillimè impediri possũt, qualia sunt pluuia, pestilitas, fertilitas, &c. post multos annos futura nõ infallibiliter pręnoscit.

IV.

Liberas autem affectiones voluntatis & cogitationes intellectus nostri Angelus nullo modo & infallibiliter cognoscit, itaq; circa illas & hallucinare potest, & non raro discurrit. hoc modo dęmones de Domino IESV suspicabantur quidem filium DEI esse, certi tamen nihil sciebant.

V.

Quia tamen Angelus miræ sagacitatis est, facile ex mutatione vultus & humorum, aut ex opere externo coniecturam capit de cordium cogitatione: sæpè etiam quod ipse procuraturus aut facturus est prędicit, aut quod alibi gestum est, hoc loco vt futurum nunciat. Dæmon etiam sæpissimè vt proiectè audax

audax est, temerè mentitur, quod Apollinis Delphici sortes, & Iouis Ammonis responsa, & columbarum in Dodona vaticinia toties ostenderunt, quæ vel apertè falsa, vel ita inuoluta erant, vt in vtramq; partem accipi possent: vel penitus non intelligerentur.

DEVS OPT. MAX.

I

CApaneo, Lycaoni, Cambysi, Cleopi Brenno, Pleminio & notissimis alijs Deorum contemptoribus venia dari posset, quod rabiem suam in Deos, qui reuera Dij non erant, euomuerint, at Theodorum ἄθεον Protagoram Abderitam & asseclas nemo tulit, nemo Philosophi nomine dignos vnquã censuit, quòd, an Deus esset, in controuersiam vocassent.

II.

Contra naturæ etiam lumen, tenebras iaculatus videtur Anaximenes Milesius apud D. August. qui Deum ex aëre cõpaginauit: æquè insulsè Epicurus Atheniensis Deum corporeum esse finxit, apud Varronem Heraclitus Ephesius, Deum ex igne excoxit, altius aliquando ascẽdit Cleantes Assius, qui, vt Arnobius memorat, æthera summum Deum esse scripsit.

III

Peripateticis igitur illud primo indubitatum est, esse aliquem rerum authorẽ Deum, à quo res alię omnes velut è fonte emanent; neq; verò tam barbarus est vllus, quin aliquẽ tam perspicuę veritatis radium excipiat, vt vanitatis planè coarguendus sit Diodorus Siculus ausus scribere, Æthiopes primos fuisse, qui Deum vel agnouerint vel coluerint.

IV.

Tertio loco ne controuerti quidem debet, Deum purissimum, simplicissimum, & ab omni materiæ corporisue feculentia alienissimum esse; quod vetus Academia, contra Archelai Physici Deum terreum, contraque Empedoclis Agrigentini quatuor diuinas naturas constanter propugnauit.

 Vere-

IV.

Verecundè etiam Arist. ne quod Deo nomen affingeret, cauit, nostrates quidem Iessam, Ladum, Marzanam & Zizi-liliam vniuersim; Gnesnę verò Niam, Piorunum & Mocossum in Russia, Radogostum & Santouitum, & Prouen, pleriq; ad mare Balthicum Deos salutabant: nec alia apud alios nomina defuerunt. Aristot. tamen, ne temerè pronuntiaret Deum, nunc primum motorem, nunc primam causam, nunc ens primum, & ens entium compellauit.

OMNIPOTENTIA DEI.

I.

NVllos Dei cancellos, nullos fines ac limites vera Philosophia posuit, quod nec Poetarum vetustissimi sint ausi: ea tamen quæ absolute impossibilia sunt, ac manifestè contradictionem inuoluunt, non potest, quanquam hæc oratio (non potest) in his obiectis ne locum quidem habet.

II.

Omnipotentiæ diuinæ præcipuum Argumentum est, quod nullis machinis, tollenonibus, nullis etiam instrumẽtis, solo nutu rem quamuis vbi & quando lubuerit producat, & re quacunq; ad quemuis effectum vtatur. hac enim ratione ignis corporeus incorporeos dęmones etiam absentes exurit. Fimbria vestimentorum Christi contactu quemuis morbum dispulit. Neq; illa μεταμόρφωσις tam mira, tã incredibilis est, quam temporis puncto efficere non valeat, quocirca vxorem Lothi in statuam salis conuertisse, ex aquâ elementari solum (vt plurimi opinantur) è gleba terræ Adamum produxisse impossibile illi non fuit. Etenim huic potentiæ ad agendum tam instructæ res creatæ omnes per obedientialẽ, vt loquimur, capacitatem ita respondent, vt Dei iussionibus nunquam nõ momento obsecundaturæ sint, siue ex ijs quiduis aliud moliatur, siue eas ad quamcũq; effectionem adhibeat, vt cũ sputo visum cæco restituit: & cũ ex substantia panis substantiam corporis Dominici producit. Im-

III.

Impiè Sadducei & Philosophorum gentilium plurimi, ac inprimis Porphyrius corporum humanorum resurrectionem, velut rem ipsi DEO arduam riserunt. Alij contrà hanc mortuorum ἀνάςασιν tam facilem senserunt, vt eam etiam, nescio quibus herbis naturaliter fieri posse somniarint. Videri potest ea de re Empedocles apud Diog. Laertium, sed & Iuba defunctum quendam Arabica herba ad vitam redijsse affirmat, quod etiam de Tyllone & Dracone historiæ loquuntur. Sed reuera, vel mortui non erant, vel diuinior vis interuenit, vel historia fidem non meretur.

IV.

Communiter quidem affirmari solet, & rectè, DEVM res præteritas infectas reddere non posse: falsum tamen est eundem numero motum aut quodcunq; Ens successiuum à DEO reproduci non posse: vnde non difficilis est coniectura, etiam tempus, quatenus quid reale ac positiuum est, reponi posse.

PERFECTIONES DEI.

I.

DEVS Opt. Max. velut oceanus quidam immensus omnem omnino perfectionem in se formaliter vel eminenter includit: merito igitur est ab Arist. præstantissimus, à Cratete vero omnis boni auctor & fons salutatus: neq; Pythagoras inscite, tanto vnumquemq; esse perfectiorem contendit, quanto propiore interuallo à DEO abfuerit.

II.

Infinitam mentem Anaxagoras DEO dum tribuit, aliud non videtur voluisse, quam quod vera Philosophia tradit, DEVM in essentia simpliciter infinitum esse, quod ex peruulgato illo Peripateticorum axiomate infertur: DEVS est Ens

à se & non ab alio, nam ex infinitis perfectionibus, non rectè concluditur essentia simpliciter infinita intensiue, vt loquuntur.

III.

Rectius Academia Deum esse omnino immutabilem, &, siue cum ab æterno altissimâ beatissimâq; quiete perfrueretur, siue cum ruptis cœli cataractis orbem inundaret, cum Arist. prorsus immobilem perstitisse, quiescere item & laborare simul; sine quietis interruptione asserit. Eundem quoq; ab omni concretione mortali & materiali exutum, cum sit actus non modo simplex, sed etiam purus omni potentialitate carens, siue eius naturam, siue admirandam illam sui diffusionem, qua per creationem conseruationemq;, quicquid vsquã boni est, profundit, siue rationem finis, qua omne quod bonũ est audit in Deum tendit, siue deniq; Idæam cum ipse omnis bonitatis creatæ perfectum sit exemplar, spectemus, summè bonum, & ab omni interitu, non vt illi Indorum sacrificuli erant, immunissimum agnoscit.

IV.


Non malè ratiocinatus est Pythagoras, cum Deum per omnes mundi partes diffusum, omniq; loco præsentem scripsit; cui addo eum ne hac quidem vniuersi mole circumscribi, sed in seipso, extra mundum, per omnem spatij imaginarij infinitatem habitare, ad hæc in rebus omnibus per essentiam, præsentiam & potentiam totus reperitur.

AN DEVS COMPREHENDI possit?

I.

HAc de quæstione nihil dubij fuit idololatris apud Cyprianum, Anthropomorphitis apud Epiphanium, & Antipodum plurimis apud Iarricum: Arbitrabantur enim homines ab omni saniore disciplina remotissimi, Deo proprium ali

quod





26. Dom. 4. p. Epi. S. Fau... ... C. d.x. –
29. S. Francisci Sa...
30. S. Adalelmi Abb. C. d.x.
31. Petri Nolasko C. d.x.

Februari.

1. Vig. Ignatii E. M. d.x.
2. Purificatio B. V. M.
3. Ildephonsi E. C. d.x.
Dom. 5. p. E. S. Andreae Corsini E. C. d.x.
4. Agathae V. M. d.x.
5. S. Laurentii E. C. d.x.
6. Transl. S. P. N. Romualdi. Apol. ~~Dorot.~~
7. Joanis de matha C. d.x.
8. S. Raynaldi. E. C. d.x.
9. Scholasticae V. ~~Apolon.~~
10. Dom. Sept. De ea. Apoloniae
11. ~~Petri Urseoli C. d.x.~~ S. Ignatii E. M. d.x.
12. Gregorii II Pap. C. d.x.
13. Oct. S. Romualdi. Abb. C.
14. S. Petri Urseoli. C. d.x. 14. Januar.
15. ~~...~~
S. Dorotheae V. M. d.x. fuit 11 hujus.
17. octava S. Scholasticae

19. ...
20. Benedicti E. C. fuit 18.
21. Helladii E. C. fuit ... Bened.
22. ... fuit 11 huj.
23. Vincentii Abb. M.
24. Octav. ... Benedicti.
25. Annunti. B. V. M. fuit ...
26. Dom. 4. ... De ea.
27. De oct. ... Benedicti.
28. Octava Benedicti
29. De ea.
30. De ea.
31. De ea.
1. Dom. passionis De ea.

Apoloniae.

